

# Sancta Birgitta

## Reuelacionum liber tercius

### *Proemium*

*1* Filius Dei loquitur dicens: "Si quis preficitur aliis, non ideo superbire debet, quia prelati sunt, sed magis timere, quia omnes eiusdem nature sunt et omnis potestas est a Deo. Quippe si bonus est, qui preficitur, a Deo est ad propriam et aliorum salutem; *2* si vero malus est, permissione Dei est ad subditorum correccionem et maius iudicium suum. Ergo cum aliquis vel cogitur vel desiderat preesse talem se exhibeat subditis, ut et desiderabilis sit moribus et eciam vita utilisque in iusticia et equitate. *3* Et attendat, ne verbis vel exemplis vel abusione potestatis sue materiam et occasionem peccandi aliis tribuat, quia nichil ita prouocat iram Dei et homines ad peccandum sicut lasciuii prelatorum. *4* Si enim Hely sacerdos, sicut Finees et Moyses stetisset in vigore sacerdocii sui et dilexisset spiritualiter filios suos, tota generacio eius saluata fuisset."

### *Incipit tercius liber celestium Reuelacionum beate Birgitte de regno Suecie diuinitus reuelatus*

*Monicio et informacio ad episcopum de modo tenendo in victu et vestitu et oracione, et qualiter se debeat habere ante mensam, in mensa et post mensam et hoc idem de dormicione, et qualiter in omnibus exerceat officium episcopale. Capitulum I.*

*1* Iesus Christus, deus et homo, qui venit ad terram assumere humanitatem, saluare animas sanguine suo, qui viam veram illuminauit aperuitque portam celi, ipse me misit ad vos. *2* "Audi tu, cui datum est audire spiritualia. Si episcopus iste proponit ire per viam artam, per quam pauci ambulant, et esse unus de paucis, deponat primo pondus circumstans et onerans eum, hoc est mundi cupiditatem, habendo mundum ad sola necessaria sua secundum episcopalem humilem sustentacionem. *3* Sic fecit ille bonus Matheus, qui vocatus a Deo reliquit onus graue mundi et inuenit onus leue. Secundo sit precinctus ad viam, sicut dicit Scriptura, quod Tobias paratus ad viam inuenit angelum precinctum stantem. *4* Quid significat, quod angelus erat precinctus, nisi quod omnis episcopus precinctus debet esse cingulo iusticie et diuine caritatis, paratus ire per illam viam, per quam ille iuit, qui ait: 'Ego sum pastor bonus, qui pono animam meam pro ouibus meis', paratus eciam cum verbis loqui veritatem, paratus cum operibus facere iusticiam tam in se ipso quam in aliis *5* non dimittendo iusticiam propter minas seu obprobria, non propter falsam amicitiam seu vanum timorem. Omnis igitur episcopus, qui taliter apparet precinctus, ad eum veniet Tobias, id est <homo iustus, et> homines iusti, et sequentur viam eius.

*6* Tercio debet comedere panem et aquam antequam aggrediatur viam, sicut legitur de Helya, quod excitatus a sompno inuenit ad caput suum panem et aquam. Quis est iste panis datus prophete nisi bonum corporale et spirituale, quod administrabatur ei? *7* Nam preparabatur ei in heremo panis corporalis propter exemplum. Licet enim Deus potuisset sustentasse prophetam sine cibo corporali, voluit tamen preparari ei panem corporalem, ut intellegeret homo Deo esse placitum, quod utatur bonis Dei donis temperate ad

consolacionem carnis. **8** Infusio quoque spiritualis inspirabatur prophete, quando quadraginta diebus iuit in fortitudine cibi illius. Nisi enim interna quedam unccio gracie inspirata fuisset menti eius, defecisset utique in quadraginta dierum labore, quia homo infirmus ex se erat sed ex Deo ad tantum perficiendum iter fortis.

**9** Ergo quia in omni verbo Dei viuuit homo, monemus episcopum sumere buccellam panis, hoc est diligere Deum super omnia. Hanc buccellam inueniet ipse ad caput suum, id est, quia ratio sua dicet ei Deum suum super omnia et pre omnibus diligendum tum propter creacionem et redempcionem, tum propter longam pacienciam et suam bonitatem.

**10** Rogamus eum eciam bibere pauxillum aque, hoc est intime cogitare amaritudinem passionis Christi. Quis enim digne sufficiat cogitare angustias humanitatis Christi, quas tunc paciebatur, quando peccit transferri a se calicem passionis, quando gutte sanguinis decurrebant in terram. **11** Bibat ergo episcopus aquam istam cum pane caritatis et tunc confortabitur ad progrediendum in via Iesu Christi.

**12** Incepta igitur via salutis, si episcopus ultra progredi voluerit, utile est ei a prima hora diei regraciari Deo toto corde, recogitare sollicite actus suos et petere auxilium a Deo ad faciendum voluntatem eius. **13** Deinde, cum induit se vestibus, oret in hunc modum: 'Cinis tenetur esse cum cinere et terra cum terra. Verumptamen, quia ex prouidencia Dei episcopus sum, induo te, corpus meum, vestibus, que ex terra sunt, non propter pulchritudinem et superbiam sed propter operimentum, ne nuditas tua appareat. **14** Nec curo, utrum indumentum tuum melius sit an vilius sed tantum, ut ad reuerenciam Dei episcopalis agnoscat habitus. Et ex habitu discernatur episcopalis auctoritas ad correpcionem et informacionem aliorum. Ideo rogo te, piissime Deus, ut tribuas michi in animo stabilitatem, ne superbiam de cineris et terre precio nec inaniter glorier de colore puluereo. **15** Sed presta fortitudinem ut, sicut habitus episcopalis discretus et honorabilis est pre aliis propter auctoritatem diuinam, sic habitus anime mee respiciatur apud Deum, ne propter auctoritatem indiscrete et indigne habitam deprimar profundius seu propter habitum laudabilem inaniter portatum denuder ignominiosius ad meam dampnacionem.'

**16** Deinde legat vel decantet horas. Quo enim homo ad alcioem gradum ascenderit, eo maiorem honorem tenetur Deo reddere. Attamen cor purum ita placet Deo in silencio, sicut in cantu, dummodo aliis iustis utilitatibus occupetur homo. **17** Post dictam missam excerceat episcopale officium suum cauendo sollicite, ne plus attendat ad corporalia quam spiritualia. Cum vero accedit ad mensam, cogitacionem habeat talem: **18** 'O, Domine Iesu Christe, qui corpus, quod corrumpitur, cibo corporali sustentari precipis, da michi auxilium sic corpori meo dare necessaria, ut non improbe contra animam insolescat caro ex ciborum superfluitate nec lentescat in seruicio tuo ex indiscreta parcitate. Sed inspira moderanciam congruam, ut cum terra de terrenis sustentatur dominus terre a terra sua ad iram non prouocetur.' **19** Cum vero in mensa fuerit, permittitur ei moderata consolacio et collocucio, in qua euitetur scurrilitas et vanitas, ne tale verbum proferatur vel audiatur, quo audientes occasionem habeant ad peccandum, sed omnia sint honesta et salutaria. **20** Sicut enim in mensa corporali deficientibus pane et vino omnia sunt insipida, sic in mensa episcopali et spiritali deficiente bona doctrina et exhortacione omnia apposita insipida sunt anime. **21** Et ideo, ut euitetur vanitatum occasio, legatur vel recitetur aliquid in mensa tale, unde edificentur assidentes. Perfecta vero refeccione et redditus in benediccione Deo graciis inquirat agenda vel certe reuoluat libros, ex quibus trahi potest ad anime perfeccionem. **22** Post cenam vero consolari potest cum familiaribus suis. Attamen sicut mater ablactans infantem perungit ubera cinere seu aliqua alia amaritudine, donec infans dissuescat a lacte et assuescit cibis solidioribus, sic episcopus attrahat Deo familiares suos talibus verbis, quibus timeant Deum et diligant, ut et ipsorum sit pater per diuinam auctoritatem et eorum mater per spiritalium educacionem. **23** Si vero scit scienter aliquem suorum familiarium peccare ad mortem anime,

qui auditis amonicionibus non respiscit, remoueat eum a se. Quem si retinuerit propter commodum et consolacionem temporalem, non erit immunis a peccato eius. **24** Pergens vero ad lectum suum examinet diligenter facta et affectus ipsius diei iam preteriti cogitando taliter: 'O Deus, creator corporis mei et anime, vide me misericordia tua et presta gratiam tuam, ut ex sompni habundancia non tepescam in seruicio tuo. **25** Nec sompni inquietudine deficiam in seruicio tuo sed modera sompnum meum ad honorem tuum, quem ad corporis alleuacionem haberi precepisti, et da michi fortitudinem, ut inimicus dyabolus non inquietet me nec abstrahat a tua pietate.'

**26** Surgens autem a lecto diluat confessione, si quas negligencias caro passa est, ne sequentis noctis sompnus cum preterite delictis oriatur."

*Verba Virginis ad filiam de remedio oportuno ad difficultatem episcopo occurrentem in via arta, et quomodo paciencia per vestes et decem precepta per decem digitos et desiderium eternorum et fastidium mundanorum per duos pedes designantur, et de tribus inimicis in via contra episcopum existentibus.*

#### *Capitulum II.*

**1** Item loquitur Dei Mater: "Dic episcopo, quod, si incesserit per viam iam dictam, tunc tria difficilia occurrent ei: primo, quod via est arta, secundo, quod in ea sunt spine pungitiue, tercio, quod via est petrosa et inequalis. **2** Contra hec tria dabo tibi tria consilia: Primum est, quod induat se episcopus vestibus forcioribus et subtiliter consutis contra viam artam. Secundum est, quod habeat decem digitos ante oculos suos, inter quos respiciat tamquam per cancellos, ne pungatur a spinis. **3** Tercium est, quod caute ponat pedes suos et in quolibet vestigio attemptet, si pes positus subsistit solide nec precipitanter ponat ambos pedes simul, nisi prius certificatus fuerit de qualitate vie. **4** Quid vero significat via arta nisi maliciam hominum prauorum contra iustos, qui derident opera iusta et deprauant vias et monita iustorum recta, et quidquid humile et pietatis est paruipendunt. **5** Contra tales homines induat se episcopus veste paciencie et constancie, quia paciencia grauia facit esse suauiam et illatas contumelias gaudenter tolerare. **6** Quid vero significant spine nisi aduersitates mundi? Contra has habendi sunt digiti decem preceptorum Dei et consiliorum eius, ut, cum pupugerit spina aduersitatis et paupertatis, consideretur passio et paupertas Christi. **7** Cum vero pupugerit spina ire et inuidie, consideretur caritas Dei, quam nobis seruare precipit. Caritas enim vera non querit, que sua sunt, sed se totam exponit ad honorem Dei et proximi utilitatem. Quod vero debet esse cautus in ponendis pedibus significat, quod ubique debet racionabiliter timere. **8** Nam bonus homo tenetur habere quasi duos pedes. Primus est desiderium eternorum. Secundus est fastidium mundi. In desiderio vero eternorum debet esse discrecio, ne desideret eterna sibi soli tamquam digno sed totum desiderium suum et voluntatem et remuneracionem ponat in manus Dei. **9** In fastidio vero mundi debet esse caucio et timor, ne fastidium sit propter aduersitates mundi et vite impacienciam, ne sit eciam propter vite temporalis maiorem quietem et laboris aliis proficui exoneracionem, sed solummodo fiat propter peccati abhominacionem et desiderium eterne vite.

**10** Hiis igitur difficultatibus vie superatis adhuc precaueo episcopum de tribus inimicis, qui sunt in via sua. Primus quippe hostis nititur sibilare in aures episcopi, ut obstruat auditum eius. Secundus stat ante eum, ut pungat oculos eius. **11** Tercius est ante pedes eius clamans alte et habens laqueum, quo pedes illaqueat, quando eleuat eos a terra. Primus hostis sunt homines illi siue infusiones ille, que nituntur episcopum trahere a via recta dicentes: **12** 'Cur tantum assumis tibi laborem et pergis per viam tam artam? Diuerte

ergo magis in viam floridam, per quam vadunt plures. Quid ad te quomodo ille vel illi viuunt? Quid ad te offendere vel obiurgare illos, a quibus honorari et amari possis? **13** Si non offendunt te et tuos, quid tibi cure est, quomodo viuunt aut si offendunt Deum? Si vero tu ipse bonus es, quid ad te iudicare alios? Da magis munera et accipe. Utere amicitia hominum, ut lauderis et bonus voceris in vita tua.' **14** Secundus hostis desiderat excecere te sicut Philistei Samsonem. Hii sunt pulchritudo et possessio mundi, fluxus vestium et diuersus apparatus rerum, honores hominum et fauores. Cum enim ista offeruntur et placent oculis, excecatur ratio, tepescit amor mandatorum Dei, peccatum perpetratur licencius et commissum leuigatur. **15** Propterea cum episcopus necessaria moderata habuerit, contentetur. Nam nimis multis videtur nunc dulcius esse stare ad molam cupiditatis cum Samsone quam diligere Ecclesiam secundum laudabilem dispositionem cure pastoralis. **16** Tercius hostis clamat alte habens laqueum et dicens: 'Cur', inquit, 'sic vadis caute et inclinato capite? Cur in tantum humilias te ipsum, qui a pluribus debes et possis honorari? Esto magis sacerdos, ut sedeas cum primis! Esto episcopus, ut honorari possis a pluribus! **17** Procede ad maiores dignitates, ut maiora obtineas seruicia et maiori fruaris quiete! Congrega thesauros, quibus alios iuuans tecum ab aliis consolari possis et ubique esse letus!'

**18** Cumque animus talibus inclinatus fuerit affectionibus et suggestionibus, mox affectus eleuatur quasi pede quodam prae delectacionis ad terrenam cupiditatem, qua ita inuoluitur laqueo cure mundialis, quod vix consurgit ad consideracionem sue miserie et premiorum seu suppliciorum eternorum. **19** Nec mirum: Scriptura enim dicit, quod, qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat ad honorem Dei. Nunc autem plerique desiderant honorem et refugiunt laborem, in quo est anime salus eterna. Propterea episcopus iste stet in gradu, quem habet, nec appetat alcioem, donec Deo placuerit ei aliter prouidere.”

*Declaracio plenaria Virginis ad episcopum, qualiter, ut Deus honoretur per ipsum, exerceat episcopale officium et de duplici fructu veram dignitatem subsequente et de duplici confusione falsam dignitatem consequente et de occursu Iesu Christi et omnium sanctorum ad verum et rectum episcopum. Capitulum*

### *III.*

**1** Loquebatur Mater Dei: ”Ego exponere volo episcopo, quid tenetur facere Deo et quid est honor Dei. Omnis itaque episcopus debet habere infulam in brachiis suis bene custoditam, non vendere eam pro pecunia, non concedere aliis propter amicitiam carnalem, non perdere propter negligenciam et tepiditatem. **2** Quid vero significat infula episcopalis nisi potestatem et dignitatem episcopalem, ordinare scilicet clerum, conficere crisma, corrigere errantes, excitare exemplo suo negligentes? **3** Quod vero in brachiis debet habere infulam bene custoditam significat, quod sedule debet cogitare, quomodo et qualiter accepit potestatem episcopalem, quomodo eam tenuerit, quis vero sit eius fructus quisue finis. **4** Si episcopus attendere velit, quomodo accepit potestatem, attendat primo, si desiderauit episcopatum propter se vel an propter Deum; si autem propter se, tunc sine dubio desiderium suum erat carnale; si vero propter Deum, id est ad honorem faciendum Deo, tunc desiderium suum erat meritorium et spirituale. **5** Deinde si episcopus cogitet, ad quid recepit episcopatum, certe ut esset pater pauperum et consolator et mediator animarum, nam bona episcopalia bona sunt animarum. Que si infructuose comeduntur et prodigialiter expenduntur, anime ille clamabunt vindictam super iniustum dispensatorem. **6** Qualis vero erit fructus episcopalis dignitatis, dicam tibi: Ipse quippe erit duplex, sicut dicit Paulus, corporalis scilicet et spiritualis. Corporalis, quia in terris est vicarius Dei et ideo ob honorem Dei quasi Deus ab hominibus honoratur. **7** In celis erit corporalis et spiritualis propter glorificacionem corporis et anime, quia ibi erit seruus cum domino tum

propter vitam episcopalem, quam gessit in terris, tum propter exemplum humilitatis, quo alios secum ad gloriam prouocauit. **8** Omnis vero, qui vestem et dignitatem habet episcopalem sed refugit vitam, duplici confusione erit dignus. Quod vero potestas episcopalis non debet vendi significat, quod episcopus non debet esse scienter simoniacus nec exercere officium suum propter pecuniam vel hominum fauorem nec promouere illos propter hominum preces, quos sciuerit esse male vite. **9** Quod vero infula non debet aliis concedi propter amiciciam hominum significat, quod episcopus non debet dissimulare peccata negligencium nec dimittere illos impunitos, quos potest et debet corrigere, non silere peccata amicorum propter carnalem amiciciam nec imponere dorso suo peccata subditorum, quia episcopus est speculator Dei. **10** Quod vero episcopus non debet perdere infulam propter negligenciam significat, quod episcopus non debet illa committere aliis ad faciendum, que ipse personaliter tenetur et potest fructuosius facere, nec propter quietem carnis illa dimittere aliis, que ipse perfectius valeret adimplere, quia officium episcopi non est quietis sed laboris. **11** Nec episcopus ignorare debet vitam et mores eorum, quibus committit officia sua, sed scire et inquirere, quomodo seruant iusticiam et si prudenter et non cupide gerunt se in agendis. **12** Insuper scire te volo, quod episcopus, quia pastoris vices habet, tenetur habere fasciculum florum sub brachiis suis, quo oues vicine et remote illicte currant gaudenter post odorem eius. Iste vero fasciculus florum significat predicacionem diuinam, quam episcopus habere tenetur. **13** Brachia vero duo, quibus fasciculus predicacionis diuine innititur, sunt duo opera necessaria episcopo, scilicet bona opera in publico et bona opera in abscondito, ut oues vicine in episcopatu eius videntes caritatem episcopi in operibus et audientes in verbis glorificent Deum in episcopo. **14** Oues vero remote audientes famam episcopi desiderant illum ad sequendum, nam iste est suauissimus fasciculus non erubescere veritatem et humilitatem Dei, docere bona et eadem, que docet, facere, esse humilem in honore et deuotum in abiectione. **15** Cumque episcopus compleuerit viam istam et peruenerit ad portam, necesse est ei aliquid habere in manu, quod presentet summo regi. Et ideo habeat in manu vas sibi carum et hoc vacuum, offerendo illud regi summo. **16** Vas vero istud vacuum offerendum est cor suum. Quod ut vacuum sit ab omni voluptate et appetitu laudis transitorie, laborandum est ei die ac nocte. Cumque introducendus est talis episcopus in regnum glorie, occurret ei Iesus Christus, Deus verus et homo, cum omni sanctorum exercitu. **17** Tunc audiet angelos dicentes: 'O Deus noster, gaudium nostrum et omne bonum! Iste episcopus mundus fuit in carne, virilis in operatione. Decet ergo nos presentare eum tibi. Desiderauit enim cotidie nostram societatem. Ideo comple desiderium eius et auge ex aduentu eius gaudium nostrum.' **18** Tunc quoque dicturi sunt et ceteri sancti: 'O Deus, gaudium nostrum est de te et in te nec indigemus alio. Attamen gaudium nostrum excitatur ex gaudio anime huius episcopi, que, dum potuit, desiderauit te.' **19** Portauit enim flores suauissimos in ore, quibus augmentauit numerum nostrum. Portauit in opere, quibus habitantes de prope et a longe reficiebat. Ideo da ei gaudere nobiscum et tu similiter gaude de eo, quem moriendo pro eo tantum desiderasti.' Ultimo dicturus est ei rex glorie: **20** 'O amice, venisti presentare michi vas cordis tui vacuum a te et a voluntate propria. Ideo ego implebo te delectacione et gloria mea. Leticia mea erit tua et gloria tua numquam finietur a me.'"

*Verba Matris ad filiam de concupiscencia malorum episcoporum, et quomodo propter bonam voluntatem multi dignitatem obtinent spiritualem, quam inordinati episcopi contempnunt, qui ad eam corporaliter sunt vocati, per latum exemplum inducit. Capitulum IIII.*

**I** Mater Dei loquitur ad sponsam Filii dicens: "Tu ploras, quod caritas Dei ad hominem est maxima et econtra caritas hominum est ad Deum modica. Vere sic est. Quis enim est dominus vel episcopus, qui non

magis concupiscit dominium ad honorem mundi obtinendum vel diuicias quam ad subueniendum pauperibus suis propriis manibus. **2** Et ideo, quia domini et episcopi nolunt venire ad nupcias omnibus preparatas in celo, venient pauperes et infirmi, sicut per exemplum tibi ostendere volo.

**3** In ciuitate quadam erat quidam episcopus sapiens et pulcher et diues, qui de pulchritudine et sapientia sua laudatus non regraciabatur Deo, ut debuit, qui dedit ei ipsam sapientiam. **4** Laudabatur quoque et honorabatur de diuiciis suis et ideo dedit multa propter mundi fauorem. Plurima quoque concupiuit, ut largius daret et amplius honoraretur. Iste episcopus habebat quendam clericum litteratum in episcopatu suo, qui taliter secum cogitabat: **5** 'Iste', inquit, 'episcopus diligit Deum minus quam expedit. Vita eius tota tendit ad secularia. Ideo, si placeret Deo, libenter desiderarem episcopatum eius ad faciendum honorem Deo. **6** Non desidero quidem propter mundum, quia honor mundi non est nisi sicut aer, non propter diuicias, quia sunt graues tamquam onus grauissimum, non propter quietem carnis mee et commodum proprium, quia non teneor esse in quiete nisi rationabili, sicut corpus stare possit in seruicio Dei, sed propter solum Deum desidero. **7** Et quamuis indignissimus sim honore, tamen ut plures lucrifacerem Deo et pluribus proficerem verbo et exemplo, pluresque sustentarem de bonis Ecclesie, **8** libenter susciperem onus episcopale, nam Deus scit, quod carior esset michi mors dura et dulcius adferendum amarum supplicium quam episcopalis dignitas, quia, licet passibilis sim sicut ceteri, tamen qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. **9** Ideo libenter desidero honorem episcopi cum onere episcopali sed sicut mortem, honorem quidem propter salutem plurimorum, onus vero propter salutem meam et amorem Dei et animarum ad hoc solum, ut bona Ecclesie possim distribuere pauperibus largius, animas instruere liberius, errantes instruere fiducialius, vexare carnem meam habundantius, moderare me ipsum sollicitius in exemplum aliorum.'

**10** Iste autem canonicus increpauit episcopum suum occulte et prudenter. Episcopus vero egre ferens verba confudit clericum aperte et imprudenter iactans se ad omnia sufficientem et moderatum. **11** Canonicus autem plorauit excessus episcopi pacienter ferens illata. Sed episcopus deridens caritatem et pacienciam canonici obloquebatur ei in tantum, quod canonicus arguebatur et reputabatur fatuus et mendax, episcopus vero iustus et circumspectus.

**12** Tandem vero procedente tempore episcopus et canonicus migrauerunt et vocati sunt ad iudicium Dei. In cuius conspectu et presencia angelorum posita videbatur quedam sedes aurea et ante sedem infula episcopalis et totus eius ornatus. **13** Multi quoque demones sequebantur canonicum cupientes inuenire in eo aliquid mortiferum, quia de episcopo sic erant certi sicut cete, qui inter procellas seruat catulos suos viuos in ventre suo. **14** Propositis vero multis querimoniis contra episcopum, cur, scilicet, et qua intencione suscepisset episcopatum, cur superbiuit de bonis animarum, quomodo animas sibi commissas rexisset, quid vero Deo pro facta sibi gracia respondisset, **15** cumque episcopus nil iusticie haberet, quid responderet ad proposita, respondit iudex: 'Ponatur', inquit, 'in capite episcopi fex pro infula, in manibus autem pix pro cyrothecis, lutum in pedibus pro sandaliis, pro camisia et lintheo episcopali pannus meretricalis. **16** Pro honore suscipiat dedecus. Pro lata familia habeat seuientem turbam demoniorum.' Deinde addidit iudex: 'Ponatur in capite canonici corona fulgida sicut sol, in manibus eius cyrothece deaurate, calciate pedes eius sotularibus. Insuper induatur habitu episcopali cum omni honore'. **17** Qui statim veste episcopali circumdatus ab omni celesti exercitu presentatus est iudici tamquam episcopus cum honore. Episcopus vero descendit sicut fur habens in collo funem, a cuius conspectu iudex auertebat oculos misericordie sue et omnes sancti cum eo.

**18** Ecce quomodo propter voluntatem bonam multi obtinent dignitatem spiritualiter, quam illi contempnunt, qui ad eam corporaliter sunt vocati. Omnia hec fiebant in uno puncto apud Deum, sed

propter te verbis prolata sunt, quia mille anni apud Deum sunt quasi una hora. **19** Cotidie quoque contingit, quod, ex quo episcopi et domini nolunt tenere officium suum ad quod vocati sunt, Deus elegit sibi pauperes sacerdotes et campanarios, qui viuentes iuxta meliorem conscienciam suam ad honorem Dei libenter proficerent animabus, si possent, et faciunt que possunt. **20** Ideo ingrediuntur loca episcopis preparata. Nam Deus similis est illi, qui suspendens coronam auream ante fores domus sue clamat transeuntibus sic: 'Omnis, cuiuscumque status fuerit, promereri potest coronam istam et quicumque nobilius vestitus fuerit virtutibus, obtinebit illam.' **21** Verumptamen scito, quod, si episcopi et domini sapientes sunt carnali sapiencia, Deus sapiencior est illis eciam spiritualiter, qui exaltat humiles et non approbat superbientes. Scito eciam, quod canonicus iste laudatus non curauit personaliter equum suum, cum iret ad predicandum vel ad opus suum. **22** Nec personaliter exstruxit focum suum cum commesturus esset, sed habuit familiam et necessaria sua ad sustentacionem rationabilem. Qui eciam habuit pecuniam sed non ad cupiditatem, nam eciam, si affluisset sibi tota mundi substancia, non dedisset unum denarium ad hoc, quod fieret episcopus. **23** Nec pro toto mundo dimisisset episcopatum, si placuisset Deo, sed totam voluntatem suam posuit ad Deum paratus honorari ad honorem Dei et paratus deici pro amore et timore Dei."

*Verba Ambrosii ad sponsam de prece bonorum pro populo, et quomodo per gubernatores domini seculares et Ecclesie et per procellas superbia et cetera, et per portum introitus veritatis designantur, et de vocacione sponse in spiritum. Capitulum V.*

**1** "Scriptum est, quod amici Dei olim clamabant rogantes Deum dirumpere celos et descendere ad liberandum populum suum Israel. Similiter et in istis temporibus amici Dei clamant dicentes: 'O benignissime Deus, nos videmus populum innumerabilem in periculosis procellis perire, quoniam gubernatores auidi sunt illis terris iugiter applicare volentes, ubi sibi ipsis maius lucrum existimant prouenire. **2** Illic se et populum ducentes, ubi horribiliores sunt iactus undarum nesciente populo securitatis portum et ob hoc miserabiliter periclitatur infinitus populus nimis paucis venientibus ad portum bonum. **3** Ideo rogamus te, omnis glorie regem, ut portum illuminare digneris, quatenus populus vitare sua pericula valeat et iniquis gubernatoribus non parere, sed ad portum rectum reduci lumine tuo benedicto.'

**4** Per istos vero gubernatores intelligo omnes potestatem habentes corporaliter et spiritualiter in mundo. Plerique enim eorum in tantum diligunt voluntatem propriam, quod de animarum utilitate suorum subditorum non attendunt, seuissimis mundi procellis, videlicet superbie, cupiditatis et immundicie, se voluntarie inuoluendo. **5** Quorum actus misera imitatur communitas credens se per illam viam tenere rectam et sic ipsi se una cum subditis perimunt sequendo sue voluntatis quemlibet appetitum. **6** Per portum vero intelligo introitum veritatis, qui nunc coram multis sic obscuratus est, quod dum aliquis dixerit viam ad portum celestis patrie, qui est sacratissimum Christi euangelium, tunc ipsum mentiri dicunt eorum opera magis sequentes, qui peccatis quibuslibet se ingerunt, quam illorum verbis credentes, qui euangelicam predicant veritatem. **7** Per lucem vero, quam amici Dei petebant, intelligo aliquam diuinam reuelacionem fieri in mundo ad hoc, ut caritas Dei renouari valeat in cordibus hominum et eius iusticia non obliuisci nec negligi. **8** Et ideo placuit Deo propter suam misericordiam et suorum amicorum petitionem vocare te in Spiritum Sanctum ad videndum, audiendum et intelligendum spiritualiter ad hoc ut ea, que audieris in spiritu, debeas aliis reuelare secundum Dei voluntatem."

*Verba eiusdem Ambrosii ad sponsam quandam similitudinem viri et uxoris et ancille disponencia, et qualiter per adulterum episcopus malus et per uxorem Ecclesia et per ancillam mundi amor designantur, et de crudelissima sententia contra adherentes magis mundo quam Ecclesie. Capitulum VI.*

**1** ”Ego sum Ambrosius episcopus, qui tibi appareo loquens tecum per similitudinem, quoniam cor tuum non potest capere intelligenciam spiritualium sine similitudine aliqua corporali. **2** Vir quidam erat habens uxorem legitimum venustam valde et prudentem. Cui tamen ancilla plus placebat quam uxor et ex hoc tria contingebant: Primum est, quod verba et gestus ancille magis eum letificabant quam uxoris. **3** Secundum est, quod ancillam vestiebat nobilissimis indumentis non curans, quod uxor pannosa esset aut quod communi panno vestiretur. Tercium est, quod nouem horis morari solebat cum ancilla, decima vero solum cum uxore. **4** Nam prima hora erat cum ancilla vigilans, dum eius pulchritudinem aspiciendo iocundabatur. Secunda hora inter ipsius brachia dormiebat. Tercia hora pro ancille commodo corporalem laborem gaudenter sustinebat. **5** Quarta hora quietem corporis cum ipsa habebat post corporis lassitudinem. Quinta hora inquietudinem mentis et curam super eius prouisione habebat. Sexta hora mentis quietem cum ea habebat, quia iam videbat se de sua prouisione ei pleniter complacere. **6** Septima hora intrabat in eum ardor carnalis concupiscencie. Octaua hora complebat cum ea sue voluntatis appetitum. Nona hora aliqua omittebat agere, que tamen ei libebat perficere. Decima hora faciebat aliqua, que tamen non delectabat eum facere. **7** Et hac hora tantummodo manebat cum uxore. Veniens vero quidam de propinquis uxoris ad adulterum grauiter increpauit eum dicens: ’Ad legitimum tuam mentis tue caritatem conuerte ipsam diligendo et sicut decet vestiendo, nouemque horis cum ipsa manendo et sola decima hora cum ancilla, alioquin scias te mortem pessimam subiturum.’

**8** Per istum adulterum intelligo istius Ecclesie prouisorem habentem quidem episcopale officium sed vitam adulterinam. Ipse quippe sancte Ecclesie spirituali copula ita coniunctus est, quod ipsa eius sponsa carissima esse deberet, qui tamen caritatem suam ab ipsa retraxit multo plus diligens seruilem mundum quam dominam sponsamque tam preclaram. **9** Et ideo tria facit: Primum est, quod de mundi fraudulenta adulatione plus gratulatur quam de sancte Ecclesie morigerosa dispositione. Secundum est, quod omnem mundi ornatum diligit, de defectu vero ornatus ecclesiastici corporalis vel spiritualis minus curans. **10** Tercium est, quod nouem horas expendit pro mundo et solam decimam pro Ecclesia sancta. Nam prima hora cum mundo vigilat hylariter eius pulchritudinem intuens delectabiliter. Secunda hora inter brachia mundi, que sunt altitudo murorum et vigilancia hominum armatorum, dormit suauiter corporis sui securitatem se per hec tenere confidens feliciter. **11** Tercia hora pro mundano commodo corporalem laborem sustinet gaudenter, ut ex hoc cum mundo letetur corporaliter. Quarta hora post corporalem laborem accipit quietem corporis libenter, quia, quidquid ei placet, iam habet sufficienter. **12** Quinta hora mentis inquietudinem habet multipliciter, ut mundanis rebus prouidere videatur sapienter. Sexta hora mentis quietem habet iocundaliter prouisionem suam mundanis hominibus placere videns uniuersaliter. **13** Septima hora audiendo et videndo mundi delectabilia in voluptatem suam trahit desiderabiliter, ex quibus in corde accenditur impacienter et intolerabiliter. Octaua hora perficit actualiter, que prius desiderabat ardentem. **14** Nona hora aliqua sibi placita propter mundum omittit inutiliter, ne videatur eos offendere, quos diligit carnaliter. Decima hora aliqua bona perficit sed non delectabiliter timens, quod infamis habeatur contemptibiliter et diiudicetur miserabiliter, si ea aliqua ex causa omiserit totaliter. **15** Et ista hora decima solummodo cum sancta Ecclesia solet commorari, bona, que facit, non ex caritate faciens sed ex timore. Timet enim supplicium ignis infernalis. Qui, si posset cum sospitate corporis et mundanarum rerum habundancia eternaliter viuere, de carencia superne felicitatis non curaret. **16** Propterea dico certissime iurans per Deum, qui caret principio et erit sine fine, quod nisi se cito ad sanctam Ecclesiam conuerterit



cum ipsa nouem horas ducendo, cum ancilla vero, id est mundo, decimam, non tamen eum diligendo sed inuitus eius diuicias et honores secundum episcopale officium habendo, omnia ad Dei honorem humiliter et racionabiliter disponendo, ipse in anima sua percussione spiritualem tam grauem habebit, **17** sicut ille per similitudinem corporalem loquendo habere videretur, qui tam horribiliter percuteretur in vertice, quod planta pedis cum tota corporis carne dissolueretur, vene et nerui rumperentur, ossa confringerentur et medulle miserabiliter undique effluerent. **18** Et sicut amarissime cor illius corporis cruciari videretur, si vertex et viciniora membra percuterentur, dum eciam planta pedis, que remocior est, lederetur, sic et misera anima diuine sentencie propinquissima ictui torqueri existimabitur amarissime, dum consciencia se videt ubique intolerabiliter sauciari.”

*Verba Virginis ad sponsam, qualiter episcopus mundum diligens flabello pleno vento et testudini iacenti in putredine comparatur, et quomodo talis Ambrosio episcopo oppositus iudicatur. Capitulum VII.*

**1** ”Scriptura dicit: ’Qui diligit animam suam in hoc mundo, perdet eam.’ Iste vero episcopus diligit animam suam iuxta omnem voluptatem suam et spiritualis delectacio non est in corde eius. **2** Ideo bene comparari potest flabello pleno vento iuxta conflatorium, nam sicut carbonibus consumptis et ere ignito fluente adhuc remanet ventus in flabello, sic ipse quamuis nature sue tribuit omne, quod appetit, consumens tempus suum inutiliter, tamen remanet eadem delectacio sicut ventus in flabello. **3** Nam voluntas eius est ad superbiam et cupiditatem mundi, ex quibus induratis corde dat occasionem et exemplum peccandi, qui consumpti in peccatis defluunt in infernum. **4** Non sic dispositus fuit ille bonus Ambrosius episcopus. Eius denique cor plenum fuit diuina voluntate, eius cibus et sompnus racionabilis. Qui exsufflans peccati voluntatem tempus suum consumpsit utiliter et honeste. **5** Ipse quippe bene vocari potest flabellum virtutum. Sanauit enim vulnera peccati verbis veritatis. Incendit frigidus diuina caritate bonorum operum suorum exemplo. Feruentes quoque voluntate peccati refriguerunt ex eius munda vita. Et sic ipse multos iuuuit, ne intrarent mortem inferni, quia diuina dileccio in eo permansit quamdiu vixit.

**6** Iste vero episcopus similis est testudini, que iacens in innata putredine trahit caput in terram. Sic iste iacet et delectatur in peccati abhominacionem trahens animum ad terrena non ad sempiterna. **7** Tria reduco sibi ad memoriam: Primo, quomodo tenuerit officium sacerdocii. Secundo, quid significat verbum illud euangelii: ’Vestimenta sunt ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces!’ Tercio, cur ea, que temporalia sunt, tantum feruent in corde; creator vero omnium frigidus est in corde eius.”

*Verba Virginis ad sponsam de suiipsius perfeccione et excellencia et de inordinato magistrorum modernorum appetitu et de eorum falsa responsione ad Virginis gloriose questionem sibi per ipsam factam. Capitulum VIII.*

**1** Mater loquitur: ”Ego sum illa, que ab eterno in caritate Dei fui et ab infancia mea Spiritus Sanctus perfecte erat mecum. Et sicut de nuce exemplum habere poteris, que dum crescit dilatante se testa, que extrinsecus est, dilatatur, et crescit eciam nucleus, qui intrinsecus est, ita ut nux semper sit plena et nichil in ea vacuum, quod capax sit alicuius rei exterioris. **2** Similiter et ego ab infancia mea plena eram Spiritu Sancto et iuxta corporis et etatis mee accrescenciam tam affluenter me totam repleuit Spiritus Sanctus,

quod nichil in me vacuum reliquit ad peccati alicuius introitum. **3** Et ideo ego illa sum, que numquam peccatum commisi veniale nec mortale. Ego quippe in caritate Dei tam ardens eram, quod nichil michi placuit nisi perfectio voluntatis Dei. **4** Feruebat enim in corde meo ignis diuine caritatis. Deus quoque super omnia benedictus, qui me sua potencia creauit et Spiritus Sancti virtute repleuit, ad me ardentem caritatem habuit. **5** Et ex huius caritatis feruore misit nuncium suum ad me faciens me voluntatem suam intelligere, ut videlicet fierem mater Dei. Quod dum noui esse voluntatis diuine, statim ex igne caritatis, quam in corde ad Deum habui, per os meum exibat vere obediencie verbum, per quod nuncio sic respondi: **6** 'Fiat', inquires, 'michi secundum verbum tuum.' Et in eodem puncto verbum factum est caro in me, et Dei filius factus est filius meus, et sic ambo habebamus unum filium, qui utrumque est, scilicet Deus et homo, et ego similiter mater atque virgo. **7** Cumque hic filius meus, qui est vir sapientissimus et Deus verus Iesus Christus, iaceret in utero meo, tantam ab ipso adepta sum sapienciam, quod non solum magistrorum intelligere valeam sapienciam, verum eciam in cordibus eorum cerno, utrum verba ipsorum ex diuina caritate aut ex solius litterature astucia procedunt. **8** Ergo tu, que verba audis, nuncia magistro illi, quod ego tria ab ipso interrogo: Primo, utrum maius est sibi desiderium ad habendum fauorem et amicitiam episcopi corporaliter, vel an desiderat plus animam eius presentare Deo spiritualiter. **9** Secundo, utrum ex plurimorum florenorum propria et singulari possessione in animo plus delectatur vel an ex nullorum. Tercio, quid sibi de hiis duobus magis videtur placere, vocari scilicet magister et inter honoratos in primis <sedilibus> pro mundana gloria residere aut simplex frater vocari et inter ultimos residere. **10** Hec tria diligenter perscrutetur. Si enim episcopum corporaliter plus quam spiritualiter diligit, tunc sequitur, quod magis dicit ei illa, que delectant eum audire, quam omnia peccaminosa prohibet, que delectant eum agere. **11** Si vero de plurimorum florenorum proprietate plus gratulatur quam nullorum, tunc diuicias plus paupertate diligit et videtur tunc amicis suis consulere, quod magis teneant quidquid possunt acquirere, quam dimittant quo carere libencius potuissent. **12** Si vero delectatur nomine magistri propter honorem mundi et inter honoratos locari, tunc superbiam plus humilitate diligit et ex hoc similior coram Deo apparet asino quam magistro. **13** Tunc vacua stramina masticat, que litterature sciencie sine caritate comparantur, et deest optimum triticum, quod caritati comparatur, quia caritas diuina in superbo corde firmari numquam potest."

**14** Post excusacionem autem magistri excusantis se et dicentis, quod maius esset sibi desiderium presentare animam episcopi Deo spiritualiter et quod plus delectatur in nullis florenis, tercio, quod nichil curat de nomine magistri, respondit iterum mater: **15** "Ego sum, que veritatem de ore Gabrielis audiui et indubitanter credidi, unde et veritas de meo corpore sibi carnem sumpsit et sanguinem et mansit in me. **16** Illam eandem veritatem ego genui de me, qui utrumque, scilicet Deus et homo, est ex se. Et quia veritas, que Dei filius est, ad me venire et in me habitare ex meque nasci voluit, ideo plenissime intelligo, utrum in ore hominum sit veritas an non. **17** Verum ego tria a magistro quesui. Quem michi bene respondisse probarem, si in verbis suis fuisset veritas. Que quia in eis non erat, ideo de aliis tribus ipsum precaueo. Primum est, quod aliqua sunt, que corporaliter diligit et desiderat, et illa nullo modo obtinebit. **18** Secundum est, quod illud, quod nunc habet cum mundana leticia, cicius amittet. Tercium est, quod pusilli intrabunt celum. Magni autem stabunt foris, quoniam porta est angusta."

*Verba Virginis ad sponsam, qualiter videntes et audientes et cetera fugiunt pericula virtute solis et cetera,*

*adueniencia et occurrencia cecis et surdis et cetera. Capitulum IX.*

**1** Loquitur Mater: "Quamuis cecus non videt, nichilominus tamen ipso cadente in precipicium sol resplendet in sue claritatis splendore et pulchritudine, quam claritatem videntes homines itinerantes clarum visum habentes gratulantur itineris sui pericula fugiendo. **2** Et quamuis surdus non audit, tamen torrens cum strepitu sui impetus super eum ab alto cadit horribiliter, eo, qui audire poterit, ad loca tuciora fugiente. **3** Et quamuis mortuus gustare non poterit, tamen ipso in vermibus putrescente bonus potus dulcedinem sui saporis retinet, quam viuis degustans in corde suo letificatur et audax ad quecumque virilia opera efficietur."

*Loquitur Virgo ad filiam securitatem de verbis sibi dictis inducens et de periculo et de aproximacione ruine Ecclesie, et qualiter ut in pluribus attendunt nunc Ecclesie prouisores, proch dolor, ad vitam meretricalem et pecunie cupiditatem et bonorum Ecclesie pro superbia prodigalitem et de ira Dei contra tales excitata. Capitulum X.*

**1** Loquitur Mater: "Ne timeas ea, que nunc videbis, a spiritu malo esse existimans. Quemadmodum enim cum solis appropinquacione duo veniunt, scilicet lux et calor, que caliginosam umbram non sequuntur, **2** sic cum Spiritus Sancti aduentu in corde duo veniunt, ardor scilicet diuine caritatis et fidei sancte perfecta illuminacio. Hec autem duo nunc sentis. Hec quoque duo dyabolum, qui caliginose umbre comparatur, non sequuntur. **3** Mitte ergo ad illum, quem tibi nominauit, nuncium meum. Quamuis autem ego scio cor et responsionem eius, finem quoque vite eius celerem, tamen debes mittere ei verba ista sequencia.

**4** Ego denique notum illi facio, quod in dextera parte sancte Ecclesie fundamentum tam vehementer dilapsum est, quod summa testudo plures rupturas habet dans ex se casus periculosos ita, quod multi de subeuntibus perdunt vitam. **5** Plereque eius columpne, que in altum tendere deberent, usque ad terram se inclinant totumque eciam pauimentum tam suffossum est, quod ceci introeutes cadunt periculose. Et adhuc interdum contingit clare videntes una cum cecis cadere grauiter causa periculosarum fossarum eiusdem pauimenti. **6** Et propter istas causas stat nimis periculose Ecclesia Dei et quid sibi sic stanti vicinius est quam ruina? Certissime dico tibi, quod, nisi reparacionis iuuamen habuerit, ipsius ruina tam grandis erit, quod per totam christianitatem audietur.

**7** Ego autem illa virgo sum, in cuius uterum Dei filius venire dignatus est exclusa quacumque carnis contagiosa voluptate. Ille vero idem Dei filius de meo clauso utero natus est cum maxima consolacione et sine aliqua pena. **8** Ego iuxta crucem steti, quando cum vera paciencia infernum victoriose vincebat et sui cordis sanguine celum aperiebat. **9** Ego eciam eram in monte, quando Dei filius, qui est et meus filius, ad celum ascendit. **10** Ego eciam totam catholicam fidem clarissime noui, quam ipse euangelizando omnes ingredi celum volentes docuit. Ego itaque illa eadem iam sto super mundum continua oracione, sicut arcus celi super nubem, qui ad terram inclinari videtur et ambobus suis finibus eam tangere. **11** Per celestem arcum itaque meipsam intelligo, que ad habitatores mundi me inclino tangens bonos et malos oracione mea. Ad bonos namque me inclino, ut in hiis, que sancta Ecclesia precipit, stabiles efficiantur, ad malos vero, ne in malicia sua processum habeant, ut fiant deteriores. **12** Notum itaque facio isti, quem tibi nominauit, quod ex una parte tetre et horribiles nubes surgunt contra claritatem arcus. Per quas nubes intelligo illos, qui in carne vitam meretricalem habent et sunt insaciabiles similes voragini maris ad cupiditatem pecunie. **13** Bona quoque irrationabiliter ac prodigaliter, sicut torrens in impetu suo aquam fundens, pro superbia largiuntur. Hec itaque tria plerique nunc exercent Ecclesie prouisores, quorum

peccata in celum ascendunt horribilia ante conspectum Dei contra meam oracionem sicut teterrime nubes contra claritatem arcus. Sic etiam illi, qui iram Dei mecum placare deberent, contra se iram Dei excitant et tales in Ecclesia Dei non deberent exaltari. **14** Quicumque ergo curam apponere voluerit, ut fundamentum Ecclesie fiat stabile et vinea illa benedicta, quam Deus fundavit sanguine suo, renouetur, si se insufficientem viderit, **15** ego, regina celorum, cum omnibus angelis ei in adiutorium venire volo sabulosas radices exstirpando sterilesque arbores in ignem proiciendo ac in earum locis ramusculos fructuosos inserendo. **16** Per vineam vero intelligo Ecclesiam Dei, in qua duo, scilicet humilitas et caritas diuina debent renouari.”

*Sequitur additio*

**17** Filius Dei loquitur de nunciis pape: ”Vos venistis in societatem maiorum et adhuc ad maiora ascendetis. Ideo summe meretur ille, qui laborat ad hoc, ut humilitas exaltetur, quia superbia iam nimis ascenderat. Honorem etiam maximum habebit ille, qui caritatem habet ad animas, quia ambicio et simonia iam in plerisque regnant. **18** Felix etiam erit ille, qui conatur pro posse suo, ut vicia de mundo extirpentur, quia iam plus solito inualescunt. Est etiam utilissimum habere et petere pacienciam, quia in diebus multorum, qui nunc viuunt, sol dimidiabitur, stelle confundentur, sapiencia infatuabitur, humiles in terra ingemiscunt et audaces preualebunt. **19** Hoc sapiencium est intelligere et interpretari, qui aspera sciunt deplanare et futura prouidere.” **20** Hec reuelacio precedens facta fuit ad Albanensem cardinalem, qui tunc fuit prior.

*Verba fidei sponse ad Christum, et qualiter Iohannes Baptista inducit sponse certitudinem Christi sibi alloquentis et de boni diuitis felicitate, et qualiter indiscretus episcopus propter sui fatuitatem et pessimam vitam assimilatur symie. Capitulum XI.*

**1** Sponsa loquebatur Christo in oracione humiliter dicens: ”O domine mi, Iesu Christe, sic firmiter credo tibi, quod etiam si serpens iaceret ante os meum, non intraret nisi te propter bonum meum permittente!”

**2** Respondit Iohannes Baptista: ”Ille, qui apparet tibi, ipse est naturaliter Dei filius, cui Pater me audiente perhibuit testimonium dicens: ’Hic est filius meus’. **3** Ipse est, a quo Spiritus Sanctus processit, qui me baptizante super eum in columbe specie apparuit. Ipse est secundum carnem verus filius Virginis, cuius corpus manibus meis attrectaui. Crede ergo ei firmiter et ingredere viam eius. Ipse enim est, qui viam rectam ad celum demonstraui, per quam pauper et diues potest ingredi celum. **4** Sed querere poteris, quomodo diues dispositus esse debet, qui ingressurus est celum, cum Deus personaliter dixerit, quod facilius est camelum per foramen acus transire quam diuitem ingredi celum? Ad hoc ego respondeo tibi: **5** Ille diues, qui sic dispositus est, quod timet aliquid secum esse male acquisitum, qui sollicitus est, ne bona sua inutiliter et contra Deum expendantur, qui inuite possidens possessionem et honorem mundi libenter desiderat separari ab eis **6** turbaturque de dispendio animarum et inhonoracione Dei et, quamuis ex dispensacione diuina cogitur quodammodo habere mundum, tota tamen intencione vigilat circa amorem Dei, hic talis diues fructuosus et felix diues est et carus Deo. **7** Sed non est sic diues iste episcopus. Ipse quippe similis est symie habenti quatuor condiciones, quarum prima est, quod preparantur ei vestes tendentes ad inferiorem partem et anteriora velantes, sed verecundiora eius apparent tota nuda. **8** Secunda condicio est, quod digitis suis tangens fetencia applicat ori suo. Tercia est, quod faciem quidem habet humanam sed colorem et speciem reliquam beluinam. **9** Quarta est, quod licet habet manus et pedes, attamen cum digitis et manibus calcatur lutum. Sic iste episcopus fatuus est quasi symia, curiosus in mundi

vanitate, deformatus a laudabili operatione, **10** nam habet vestes, id est ordines episcopales, qui sunt valde honorabiles et preciosi apud Deum, sed verecundiora sua apparent nuda, quia leuitas morum suorum et affectus carnalis ostenditur hominibus ad animarum destructionem. **11** Contra que dicit miles ille egregius, quod verecundiora hominis maiorem honestatem habent, notans per hoc, quod motus bestiales clericorum celari debent bonis operibus, ne exemplo eorum infirmi scandalizentur. Symia quoque tangit et odorat fetencia. **12** Quid facit digitus nisi demonstracionem rei vise, sicut ego videns Deum in humanitate demonstraui eum digito, 'ecce', inquit, 'agnus Dei'. Quid ergo sunt digiti episcopi nisi mores sui laudabiles, quibus demonstrare deberet iusticiam Dei et eius caritatem? **13** Nunc autem in operibus suis demonstrat, quod est generosus et diues, sapiens mundi et prodigus pecuniarum. Quid autem sunt hec omnia nisi tamquam digitos immittere ad fetencia? Nam gloriari de carne et lata familia, quid aliud est quam gloriari de inflatis saccis? **14** Symia quoque habet faciem humanam sed speciem reliquam beluinam. Sic iste animam quidem habet signaculo Dei insignitam sed per propriam cupiditatem deformatam. **15** Quarto sicut symia tangit et calcat cum pedibus et manibus lutum, sic iste affectu et opere terrenis inhiat auertens vultum suum a celestibus et inclinans ad terrena tamquam animal obliuiosum. Numquid talis mitigtat iram Dei? Nequaquam, sed magis prouocat contra se iusticiam Dei."

#### *Addicio*

**16** Hec reuelacio facta est de legato cardinali anni iubilei et cetera. Filius Dei loquitur: "O disputator superbe, ubi pompa tua, ubi apparatus equorum? Noluisti intelligere, cum esses in honore. Ideo nunc inhonoratus es. Dic igitur, quamuis omnia scio, audiente ista sponsa noua, que quero!" **17** Et statim quasi una persona tremula et nuda apparuit mirabiliter deformata. Cui dixit iudex: "O anima, tu docuisti spernere mundum et diuicias eius. Cur ergo secutus es ea?" **18** Respondit anima: "Quia dulcius sapuit michi fetor pessimus quam odor tuus suauissimus." Et statim dicto verbo per Ethiopem unum infusum est anime vas sulphuris et veneni. Item dixit iudex: "O anima, tu posita fuisti populis in candelabrum lucis, quare non lucebas verbo et exemplo?" **19** Respondit anima: "Quia caritas tua fuit abrasa a corde meo. Ibam sicut homo sine memoria et sicut vir vagus respiciens presencia et non attendens futura." Quo dicto anima priuata est lumine oculorum. **20** Et dixit unus Ethiops, qui astare videbatur: "O iudex, hec anima mea est. Quid facturus sum?" Respondit iudex: "Purga eam et quasi in prelo examina, donec veniat consistorium, in quo allegaciones amicorum et inimicorum discucientur."

*Loquitur sponsa Christo preces effundendo pro supradicto episcopo et de responsionibus Christi et*

*Virginis et sancte Agnetis sponse factis. Capitulum XII.*

**1** "O Domine mi, scio, quod nemo ingreditur celum nisi Pater traxerit eum. Ideo, o Pater piissime, trahe istum infirmum episcopum ad te. Tu vero, Fili Dei, adiuua conantem. Tu quoque, Sancte Spiritus, imple caritate tua episcopum frigidum et exinanitum."

**2** Respondit Deus Pater: "Si trahens est fortis, res vero, que trahitur, ponderosa nimis, cicius dissipabitur opus et annihilabitur. Si vero, qui trahitur, ligatus est, non potest adiuuare nec seipsum nec trahentem, et si immundus est, qui trahitur, abhominabilis est ad trahendum et tangendum. **3** Sic episcopus iste dispositus est, sicut qui stat in diuersorio deliberans secum, que via sit tenenda."

**4** Respondit sponsa: "O Domine mi, numquid non scriptum est, quod nemo stabiliter stat in hac vita, sed aut vadit ad meliora aut ad peiora?"

**5** Respondit Pater: "Utrumque dici potest, nam stat quasi inter duas vias, gaudii scilicet et doloris. Turbatur de horrore supplicii eterni. Assectat obtinere celeste gaudium, sed tamen asperum sibi videtur per viam, que tendit ad gaudium, perfecte ambulare. Vadit vero, quando illa sequitur, ad que feruencioem habet voluntatem."

**6** Item loquitur beata Agnes: "Iste episcopus est dispositus sicut ille, qui staret inter duas vias. Unam earum sciret artam in principio sed in fine gaudiosam; aliam sciret delectabilem ad tempus sed in fine habentem profundum insaciabile et dolorosum.

**7** Cumque viator cogitans de istis viis delectaretur in eundo viam in principio delectabilem timens tamen de insaciabili profundo incidit talis cogitacio: 'Est', inquit, 'compendium quoddam in via ista delectabili. Si inuenero illud, diu ambulare possum securus et, cum appropinquauero fini et profundo, si inuenero compendium, nichil michi nocebit.' **8** Et ita ambulans securus in via, cum venisset ad profundum, cecidit miserabiliter, quia compendium, ut cogitauit, non inuenit. Talium cogitacionum viri inueniuntur hodie multi qui cogitantes taliter secum: **9** 'Onerosum est', inquit, 'ire viam artam. Durum est relinquere voluntatem propriam et honores.' Propterea ponunt sibi spem falsam et periculosam. 'Longa', inquit, 'est via nostra. Misericordia Dei est maxima. Delectabilis est mundus iste et ad delectacionem creatus. **10** Ideo nil obest, si ad tempus utar mundo secundum velle meum, quia in fine vite sequi volo Deum. Est enim compendium quoddam vie huius mundi, id est contricio et confessio. Hanc, si obtinero, saluus ero.' **11** Talis cogitacio, scilicet velle peccare usque in finem et tunc confiteri, est valde debilis spes, quia nesciunt antequam cadunt. Quibus et in extremis inspiratur quandoque tantus dolor et subitus finis, quod nullomodo fructuosam poterunt inuenire contricionem. **12** Et merito; noluerunt enim preuidere futura mala, cum potuerunt, sed in arbitrio et limitacione sua posuerunt tempus misericordie Dei. Nec proponebant finem facere peccato, antequam peccatum non poterat eos delectari. Similiter et episcopus iste stetit inter istas duas vias. **13** Nunc autem appropinquat vie delectabili carnalis et habet ante se quasi tria folia, que legit. Primum folium legit dulciter et continue, secundum quandoque sed non cum delectacione, tertium folium raro et hoc cum dolore. Primum vero sunt diuicie et honores, quibus delectatur. **14** Secundum est timor gehenne et futuri iudicii, quo conturbatur. Tertium est amor Dei et timor filialis, qui raro reuoluitur. Si enim attenderet, quid pro eo fecit Deus quidue ei impendit, numquam amor Dei extingueretur in corde eius".

**15** Respondit sponsa: "O domina, roga pro illo." Et tunc beata Agnes ait: "Quid facit iusticia nisi iudicium quidue misericordia nisi quod alliciat?" Mater Dei loquitur: "Sic dicitur episcopo: Deus licet omnia potest facere, tamen homo personaliter cooperari debet, ut peccatum fugiatur et caritas diuina obtineatur. **16** Nam tria sunt, que inducunt ad fugiendum peccatum, et tria inductiua sunt ad obtinendam caritatem. Tria, quibus fugitur peccatum, sunt: Penitencia perfecta, secundum intencio nolle ea iterato committere, tertium emendare se iuxta consilia illorum, quos videt contempsisse mundum. **17** Tria vero cooperancia ad obtinendam caritatem sunt humilitas, misericordia et labor caritatis, nam quicumque non legeret nisi unum *Pater noster* pro obtinenda caritate, cicius appropinquaret illi effectus caritatis.

**18** De altero episcopo, de quo prius dixi tibi, concludo nunc, quod fosse videntur ei nimis late ad saltandum, muri nimis alti ad scandendum, sere fortes ad confringendum. **19** Ideo sto ego et expecto eum, sed ipse vertit caput suum ad opera trium turbarum, quas delectabiliter videndo considerat. Prima earum

corizat. **20** Huic ipse dicit: 'Placet michi audire vos, expectate me!' Secunda stat ad speculandum. Huic ipse dicit: 'Placet michi videre, que videtis, quia delectant me multum.' Tercia letatur et quiescit et cum hac querit ipse quietem et honorem. Sed quid est corizare in mundo nisi ab una temporali leticia transire in aliam, ab uno appetitu honoris in alium? **21** Quid vero est stare et cogitare nisi a contemplacione diuina subtrahere animum et de congregacione et de erogacione temporalium cogitare? Quid vero est quiescere nisi carnis habere quietem? **22** Has itaque tres turbas considerando iam ascendit in montem altum, sed de sibi transmissis verbis meis nichil curat, nec de illa clausula verborum curat, scilicet, si tenet ipse promissionem suam, tenebo et ego meam."

**23** Respondit sponsa: "O benignissima Mater, noli discedere ab eo!" Cui Mater: "Non discedo, donec terra suscipit terram. Ymmo magis, si confregerit seras, obuiabo ei sicut ancilla et adiuuabo sicut mater?" **24** Et addidit Mater: "Tu, filia, cogitas, que fuisset remuneracio canonico illi Aurelianensi, si episcopus suus fuisset conuersus? **25** Respondeo tibi: Sicut tu vides, quod terra profert herbas et flores diuerse speciei et diuersi generis, sic si omnis homo laudabiliter stetisset ab origine mundi in institucione sua, omnes obtinuissent excellentem mercedem, quia omnis, qui in Deo est, transit ab una leticia in aliam, non quod tedium in aliqua sit, sed quia continue augetur delectacio delectabilior et gaudium ineffabile continue innouatur."

#### *Declaracio*

**26** Hic fuit episcopus Vexionensis. Qui, cum esset Rome, multum de reditu suo angustiaretur. Auditum est in spiritu: "Dic", inquit, "episcopo, quod mora sua utilior est quam acceleracio. Hii quoque, qui de comitiua sua precesserunt, subsequenter eum. **27** Ideo cum ad patriam redierit, verba mea inueniet vera." Sic itaque omnia euenerunt. Nam rediens inuenit regem captum et totum regnum turbatum. **28** Hii quoque qui precesserunt eum de comitiua impediti in via longe subsequebantur eum. "Scito eciam, quod domina illa, que est in comitiua episcopi, sana reuertetur, sed non in patria morietur." Et ita euenit, nam secunda vice iuit Romam et ibi mortua est et sepulta.

#### *Item de eodem episcopo*

**29** Cum domina Birgitta descendisset de Monte Gargano ad ciuitatem Mafredoniam in regno Cecilie, idem episcopus existens in comitiua domine casu accidente in monte cecidit de equo ita grauiter, quod due coste fracte sunt. **30** Qui de mane, cum domina profectura esset ad sanctum Nicolaum de Baro, vocauit eam ad se dicens: "O Domina, grauissimum est michi hic sine vestra presencia manere. Et onerosum est eciam vobis moram trahere propter me maxime propter incursantes istos homines. **31** Rogo", inquit, "vos per amorem Iesu Christi, ut rogetis Deum pro me, et tangite manu vestra latus doloris mei! Spero enim per tactum manus vestre dolorem meum mitigari." Que pro compassione resoluta in lacrimas respondit: "O, Domine mi, ego reputor, quod non sum, nam ego sum peccatrix maxima in conspectu Dei. **32** Verumptamen omnes rogemus Deum et ipse respondebit fidei vestre." Facta itaque oracione cum surrexisset, tetigit latus episcopi dicens: "Sanet te Dominus Iesus Christus". Et statim dolor discessit. Et surgens episcopus secutus est dominam per totam viam usque rediret Romam.

*Verba Matris ad filiam, qualiter verba et opera Christi per thesaurum et deitas per castrum et peccata per seras et virtutes per muros et pulchritudo mundi et delectatio amicorum per duas fossas mirabiliter designantur et exponuntur, et qualiter se debeat habere episcopus circa curam animarum. Capitulum XIII.*

**1** Mater loquitur ad sponsam Filii dicens: "Ille episcopus petit me in suam caritatem. Ideo debet hoc facere, quod est michi carissimum. Ego quippe scio thesaurum, quem qui possederit, numquam erit miser. **2** Qui videbit eum, numquam sentiet tribulationem et mortem. Quicumque desiderat illum, habebit quidquid appetit cum exultatione. Iste vero thesaurus clausus est in bono castro quatuor seris, quod castrum habet extra se muros altos et spissos et grossos. **3** Extra vero muros sunt due fosse profunde atque late. Ideo rogo ipsum, ut transiliat ambas fossas uno saltu, ascendat ad muros uno passu, confringat omnes seras uno ictu et sic presentet michi rem preciosissimam. Nunc autem, quid ista significant, dicam tibi. **4** Hoc vobiscum vocatur thesaurus, quod raro sumitur in usus et raro mouetur. Hic thesaurus sunt verba filii mei carissimi et eius preciosissima opera, que in passione et ante passionem fecit, **5** necnon et illa mirabilia opera, que tunc fecit, quando verbum factum est caro in corpore meo, et quod <facit>, quando in altari cotidie panis eadem fit caro ad verbum Dei. **6** Hec omnia sunt preciosissimus thesaurus, que ita iam neglecta et oblita sunt, quod paucissimi sunt, qui recolunt et eis utuntur ad profectum suum. Verumptamen corpus illud gloriosum Filii Dei iacet in castro munito, id est in deitatis virtute. **7** Sicut enim castrum defendit contra inimicos, sic Filii mei deitatis potencia defendit humanitatis sue corpus, ut nullus ei noceat hostis. Sere vero quatuor peccata sunt quatuor, quibus excluduntur multi a participacione et virtutis bonitate corporis Christi. **8** Primum est superbia et cupiditas ad honores mundi. Secundum est cupiditas ad possessiones mundi. Tercium est voluptas feda ad corporis immoderatam implecionem et fetidissimam eius explecionem. **9** Quartum est ira et inuidia et negligencia proprie salutis. Ista quatuor diligunt et in consuetudine habent nimis multi. Propterea elongantur nimis a Deo, nam vident corpus Dei et recipiunt, sed anima eorum tam longe a Deo est, sicut fures, qui furari desiderant sed appropinquare non valent propter fortes seras. **10** Et ideo dixi, quod confringeret seras cum uno ictu. Ictus vero significat zelum animarum, quo ipse episcopus confringere debet peccatores cum operibus iusticie ex diuina caritate, ut confractis seris viciorum peccator pertingere valeat ad preciosum hunc thesaurum. **11** Et, quamuis non possit omnes peccatores percutere, faciat, ut tenetur, que possit, et potissime hiis, qui sunt sub manu sua, non parcendo paruo vel magno propinquo vel cognato inimico vel amico. **12** Sic fecit ille sanctus Thomas de Anglia, qui passus est multas tribulationes pro iusticia et in fine occubuit dura morte, quia non pepercit percutere corpora cum iusticia ecclesiastica ad hoc, ut anima minorem penam pateretur. **13** Cuius vitam imitetur iste episcopus, quatenus omnes audientes intelligant, quod odit peccata propria et aliorum. Et tunc talis ictus zeli diuini audietur super omnes celos in conspectu Dei et angelorum et multi conuertentur et meliorabuntur dicentes: 'Non', inquier, 'odit nos sed peccata nostra. Resipiscamus ergo et erimus amici Dei atque sui.'

**14** Tres vero muri, qui ambiunt castrum, sunt tres virtutes. Prima est dimittere delectabilia carnis et facere voluntatem Dei. Secunda est magis velle paci obprobria et dampna pro veritate et iusticia quam habere honores et possessiones mundi dissimulando veritatem. **15** Tercia est, non parcere vite vel bonis pro salute cuiuslibet Christiani. Sed attende, quid nunc facit homo. Denique sibi videtur, quod muri isti predicti ita sunt alti, quod nullo modo possent transcendi. **16** Propterea corda hominum non appropinquant illi gloriosissimo corpori cum permanencia, nec anime eorum, quia longe sunt a Deo. Et ideo precepi amico meo, quod transcenderet muros uno passu. **17** Hoc enim vobiscum vocatur passus, quando pedes longa a se separantur distancia ad transferendum celeriter corpus. Sic eciam est spiritualis passus. Cum enim corpus est in terra et caritas cordis in celestibus, **18** tunc transcenduntur tres predicti muri, quia tunc placet homini



ex consideratione celestium dimittere propriam voluntatem, pati repulsam et persecucionem, pro iusticia mori eciam libenter pro honore Dei.

**19** Due vero fosse extra murum sunt pulchritudo mundi et presencia et delectacio amicorum mundi. In hiis fossis multi libentissime quiescerent et numquam in celis curarent videre Deum. **20** Et ideo fosse iste sunt late et profunde, late, quia talium hominum voluntates longe lateque sunt a Deo. Profunde quoque sunt, quia plurimos detinent in profundo infernali. **21** Propterea fosse iste transcendendi debent uno saltu. Quid enim est saltus spiritualis, nisi separare totum cor suum ab hiis, que vana sunt, et de terrenis salire in regnum celi?

**22** Ecce nunc ostensum est, quomodo confringende sunt sere et transiliendi muri. Nunc ostendam, quomodo presentare debet episcopus iste rem preciosissimam, que umquam fuit. Deitas quippe ab eterno et sine principio fuit et est, quia non est in ea inuenire principium siue finem. **23** Humanitas vero fuit in meo corpore et suscepit de me carnem et sanguinem. Ideo ipsa est res preciosissima, que umquam fuit et est. Ergo, quando anima iusti recipit cum caritate corpus Dei in se et corpus Dei implet animam, tunc ibi est preciosissima res, que umquam fuit. **24** Nam licet deitas est in tribus personis sine principio et sine fine in se, tamen quando misit filium suum ad me cum deitate et Spiritu Sancto, tunc sumpsit benedictum corpus suum de me. **25** Nunc vero ostendam eidem episcopo, quomodo presentanda est domino preciosissima res illa. Ubi cumque enim amicus Dei inuenit peccatorem, in cuius verbis est modica caritas ad Deum et magna ad mundum, ibi anima vacua est ad Deum. **26** Propterea amicus Dei habeat caritatem ad Deum dolendo, quod anima redempta sanguine creatoris inimica est Dei, condoleatque misere anime habendo ad eam quasi duas voces, unam, qua roget Deum misereri anime, aliam, qua ostendat anime periculum suum. **27** Si autem ista duo, Deum scilicet et animam, concordare poterit in unum, tunc manibus dileccionis sue presentat Deo preciosissimam rem, quia, quando corpus Dei, quod fuit in me, et anima hominis a Deo creata conueniunt in unam amicitiam, hoc est michi carissimum. Nec mirum. **28** Ego enim presens eram, quando miles ille egregius, filius meus, exiuit de Ierusalem tenere certamen, quod tam forte fuit et durum, quod omnes nerui in brachiis eius extendebantur. Dorsum erat liuidum et sanguinolentum, pedes perforati clauis, oculi et aures pleni sanguine. **29** Collum quoque inclinabatur, quando tradidit spiritum. Cor scindebatur a cuspide lancee et sic cum maximo dolore vicit animas. Qui nunc residens in gloria extendit brachium ad homines, sed tamen paucissimi inueniuntur, qui presentent ei sponsam. **30** Ideo amicus Dei non parcat vite et bonis iuuando alios secum eosque filio meo presentando.

**31** Dicito adhuc eidem episcopo, quod, quia ipse petit me in suam caram amicam, ideo volo dare ei fidem meam et ligare me cum eo in unum vinculum. Nam corpus Dei, quod fuit in me, recipiet animam eius in se cum magna caritate. Ut sicut Pater cum Filio fuit in me, qui corpus meum et animam habuit in se et sicut Spiritus Sanctus, qui est in Patre et Filio, fuit ubique mecum, qui et filium meum habuit intra secum, sic et famulus meus ligatus erit cum eodem Spiritu. **32** Nam quando ipse diligit passionem Dei et corpus eius habet in corde carissimum, tunc habebit humanitatem, que intra se et extra se habet deitatem et est Deus in eo et ipse in Deo, sicut est in me Deus et ego in eo. **33** Cum vero famulus meus et ego habemus unum Deum, tunc habebimus et unum vinculum caritatis et Spiritum Sanctum, qui est cum Patre et Filio unus Deus.

**34** Adde adhuc unum verbum. Si iste episcopus tenet promissionem suam mecum, ego iuuabo eum, dum viuuit. In fine vero vite volo seruire et astare ei presentando animam eius Deo et dicendo sic: 'O Deus meus, iste seruiuit tibi et obediuit michi, ideo presento tibi animam eius!'

**35** O filia, quid cogitat homo, qui contempnit animam suam? Numquid Deus Pater cum incomprehensibili deitate sua dimisisset innocentem filium suum pati in humanitate tam duram penam, nisi fuisset illa virtuosa delectatio et affectio, quam habet ad animas et illa eterna gloria, quam eis preparauit?”

**36** Hec reuelatio facta est de episcopo Lincopensi, qui postea factus fuit archiepiscopus. Item de eodem vj libro, capitulo xxii, quod incipit ‘Ille prelatu’.

*Et de eodem addicio.*

**37** ”Episcopus, pro quo tu ploras, venit ad leue purgatorium. Ideo pro certo scias, quod, quamuis in mundo multos habuit impeditores, iam ipsi reportauerant iudicium suum et ipse propter fidem et mundiciam suam mecum gloriatur.”

*Verba Matris ad filiam sub figura mirabili de quodam episcopo, qualiter scilicet episcopus per papilionem vermem et humilitas et superbia episcopi per duas alas et tres species mala episcopi palliantes per tres vermis colores, episcopi opera per spissitudinem coloris, duplex voluntas per duo cornua papilionis, cupiditas per os, modica caritas per paruum corpus designantur et exponuntur. Capitulum XIII.*

**1** Mater loquitur ad sponsam Filii dicens: ”Tu es vas, quod possessor implet et magister euacuat. Attamen unus et idem est, qui implet et euacuat. Nam sicut qui infunderet vasi simul vinum et lac et aquam diceretur magister, si unumquodque istorum insimul coagulatorum separaret et reduceret in naturam propriam, **2** sic ego mater et magistra omnium feci et facio tibi. Nam ante annum et mensem dicta sunt tibi plura negocia et omnia quasi coagulantur in anima tua, que, si statim effunderentur, simul videretur abhominabile, cum ignoraretur eorum finis. Ideo paulatim distinguo ea sicut michi placet.

**3** Numquid recolis, quod misi te ad quendam episcopum, quem vocaui seruum meum? Ideo nos simillamus eum papilioni vermi, qui habet alas latas colore albo, rubeo et blaueo respersas. Cum vero tangitur, color eius spissus remanet in digitis tamquam cinis. **4** Hic vermis modicum habet corpus sed grossum os, duo cornua in fronte et occultum locum in ventre, per quem immunda ventris emittuntur. Ale vero huius vermis, id est episcopi, sunt humilitas eius et superbia. **5** Nam humilis apparet extra in verbis et in gestibus, humilis in vestibus et operatione, sed intus est superbia, qua magnus est in conspectu sui, tumidus de honore, ambiciosus de fauore hominum et arrogans aliis sua preferendo et aliena iudicando. **6** Hiis igitur duabus alis volat per humilitatem apparentem coram hominibus, ut singulis placeat et in ore sit omnium, per superbiam vero sibi ipsi, qua se existimat multis sanccioem. Tres vero colores alarum tres sunt species palliantes mala eius. **7** Nam color rubeus significat, quod continue de passione Christi disputat et miraculis sanctorum, ut vocetur sanctus, sed certe longe sunt a corde ipsius, quia minime sapiunt sibi. **8** Color vero blaueus significat, quod exterius videtur non curare de temporalibus, sed mortuus esse mundo et totus celestis, sicut blaueum speciem habet celi. Sed certe color iste secundus non maiorem coram Deo stabilitatem et fructum affert quam ille primus. **9** Color vero albus indicat ipsum in vestibus religiosum, in moribus superlaudabilem. Sed tanta dulcedo et perfeccio est in colore tercio, qualis in duobus primis. **10** Sicut enim color papilionis spissus est et adheret manibus nil tamen relinquens manibus nisi quasi cinerem, sic opera sua videntur admiranda, quia desiderat esse solus, sed ad utilitatem propriam vacua et infructuosa sunt, quia non sincere querit nec diligit diligendum. Cornua vero duo duplex est voluntas eius. **11** Nam

desiderat habere vitam sine incommodis in hoc mundo, post mortem vero vitam eternam, ut et honore magno non fraudetur in terris et in celestibus perfeccius coronetur. Iste episcopus simillimus est eciam papilioni, qui cogitat portare celum in cornu uno et terram in altero, qui tamen, si posset, non sustentaret minimum quid ad honorem Dei. **12** Sic iste Ecclesie Dei credit et cogitat proficere verbo suo et exemplo, tamquam sine illo non ita cresceret. Terrenosque homines per merita sua germinare spiritualiter suspicatur. **13** Et ideo tamquam miles, qui certauerat, cogitat: 'Cum', inquires, 'voco deuotus et humilis, ad quid extendam ad arciora vitam meam? Si pecco in quibusdam delectacionibus, sine quibus non delectabiliter uiuo, maiora merita et opera mea me excusabunt. **14** Cum enim celum per haustum eciam aque frigide obtineri poterit, quid necesse est ultra mensuram laborare?'

**15** Papilio quoque habet latum os, sed maiorem habet latitudinem cupiditatis in tantum, quod, si muscas omnes voraret preter unam, adhuc illam solam concupisceret et deuoraret. Sic iste, si unum denarium obtinere posset cum multis tali modo, quod non notaretur et esset occultum, reciperet quidem, sed numquam fames cupiditatis extingueretur. **16** Papilio quoque habet occultum exitum immundicie sue. Sic ipse improbe effundit iram suam et impacienciam, ut et latencia sua aliis ostendantur. Item sicut papilio modicum habet corpus, sic iste modicam caritatem, quia, quod deficit sibi in magnitudine caritatis, totum suppletur in alarum latitudine et extensione."

**17** Respondit sponsa: "Si aliquam scintillam caritatis habet, semper spes est vite et caritatis et salutis." Et Mater: "Qualem caritatem habuit Iudas, cum tradendo Dominum dixit: 'Peccaui prodendo sanguinem iustum?' Voluit quippe videri habere caritatem, sed non habebat."

*Verba Matris ad filiam sub figura de alio episcopo, et qualiter talis episcopus per brucum vermem, verbosa eloquencia per euolatam, due consideraciones per duas alas, verba placencia mundo per morsum designantur, et de Virginis admiracione de vita istorum duorum episcoporum et de predicatoribus.*

#### *Capitulum XV.*

**1** Item loquitur Mater ad sponsam dicens: "Alium episcopum ostendi tibi, quem vocaui pastorem gregis. Hunc similamus bruco, qui terreum habens colorem cum sonitu magno euolat et, ubicumque resederit, mordet intolerabiliter et cum dolore. **2** Sic iste pastor terreum habet colorem, quia, cum ad paupertatem vocatus est, magis desiderat esse diues quam pauper, magis preesse quam subiici, magis habere voluntatem propriam quam aliorum obediencia disciplinari. **3** Euolat quoque cum sonitu magno, quia de diuinis sermonibus habundat verbosa eloquencia, pro doctrina spirituali disputat de mundi vanitate et pro sancta ordinis sui simplicitate laudat et imitatur mundi vanitatem. **4** Habet insuper duas alas, id est duas consideraciones: Prima est, quod omnibus vellet dare verba pulchra et placencia ad hoc, ut ab hominibus honoraretur. Secunda est, quod vellet, ut omnes se inclinarent ei et obedirent. **5** Item brucus mordet inconsolabiliter. Sic iste mordet dampnose ad animam. Nam cum sit animarum medicus, non dicit accedentibus ad se periculum eorum et infirmitatem nec utitur resecacionis ferro, sed loquitur eis placencia, ut vocetur mitis et ne ab aliquibus deuitetur. **6** Ecce in istis duobus episcopis mirabile magnum est. Alter enim apparet extra pauper, solitarius et humilis, ut vocetur spiritualis. Alius desiderat possidere mundum, ut vocetur misericors et largus. Alius iterum vellet videri possidere nichil et tamen concupiscit omnia possidere occulte. **7** Alter vult possidere in aperto plurima, ut tribuat multa et sic honoretur multum. Propterea secundum vulgare prouerbium, quia ipsi seruiunt michi taliter, quod non video, quia non

approbo, ideo remunerabo eos taliter, quod non videbunt. **8** Miraris, cur tales laudantur de predicacione sua? Respondeo tibi: Quandoque malus loquitur bonis, quibus infunditur Spiritus Dei bonus non propter bonitatem doctoris sed per verba doctoris, in quibus Dei Spiritus bonus est propter bonum audiencium. **9** Quandoque bonus loquitur malis, qui efficiuntur boni ex auditu et propter Spiritum Dei bonum et propter bonitatem docentis. **10** Quandoque eciam frigidus loquitur frigidis, ut frigidi auditores, dum referunt audita ad absentes feruentes, ipsi audientes fiant feruenciores. Propterea noli turbari ad quos mittaris. Deus enim est mirabilis, qui sternit aurum sub pedibus et lutum collocat inter radios solis.”

*Verba Filii ad sponsam, quod Deo non placet animarum dampnatio, et de mirabilibus questionibus*

*episcopi iunioris ad senem et de responsionibus senis ad iuniorem. Capitulum XVI.*

**1** Filius loquitur ad sponsam dicens: ”Quid credis, quare isti duo ostenduntur tibi? Numquid, quia vituperium eorum et dampnum placet Deo? Absit. Sed ideo fit, ut paciencia et honor Dei manifestior fiat et audientes timeant iudicium Dei. **2** Sed veni et audi mirabile! Et ecce quidam iunior episcopus quesivit seniore dicens: ’Audi, frater, et responde michi. Cum ad obediencie iugum fuisti obligatus, cur deseruisti illud? **3** Cum paupertatem et religionem elegisti, cur reliquisti illas? Cum per religionis ingressum ostendisti te mortuum seculo, cur desiderasti episcopatum?’ Respondit senior: ’Obediencia, que me subesse docuit, erat michi onerosa. **4** Ideo assectaui libertatem. Iugum, quod Deus dicit suaue, erat michi amarum. Ideo quesui et elegi corporis quietem. Humilitas erat in me ficta. Ideo concupiui honorem. Et, quia melius est minare quam trahere, ideo desiderauit episcopatum.’ **5** Quesivit secundo iunior: ’Cur non honorabas sedem tuam mundi honore? Cur non acquisisti diuicias per mundanam sapienciam? Cur non dispensasti ea, que habebas, secundum honorem mundi? Cur tantum te exterius deiecisti et non magis iuxta mundialem ambicionem processisti?’ **6** Respondit senior: ’Ideo non strauit sedem meam cum mundi honore, quia sperabam amplius honorari, si apparerem humilis et spiritualis quam si viderer temporalis. **7** Et propterea, ut ab hominibus mundanis laudarer, videbar quasi omnia contempnere, ut vero diligerer a spiritualibus, humilis et deuotus apparebam. **8** Ideo vero non acquisiui diuicias cum mundana sapiencia, ne spirituales viri notarent me et contempnerent propter temporale. Ideo vero non dedi largiter dona, quia magis placebat michi esse cum paucioribus propter quietem meam quam cum pluribus. Et plus delectabar, si aliquid habebam in arca, quam si tribuissem aliquid manu mea.’

**9** Item quesivit iunior: ’Dic michi, cur dedisti asino dulcem et delectabilem potum de immundo vase? Cur tribuisti episcopo siliquas de ara porcorum? Cur coronam tuam strauisti sub pedibus? Cur expuisti triticum et masticasti zizaniam? **10** Cur soluisti alios de funibus, teipsum vero ligasti compedibus? Cur alienis vulneribus apposuisti sanatiua et tuis propriis mortificatiua.’ Respondit senior: ’Ideo dedi asino dulcem potum de immundo et despecto vase, quia, cum essem litteratus, placuit michi propter mundi honorem magis tractare sacramenta diuina altaris, quam vacare cure seculari. **11** Et, quia occulta mea erant incognita hominibus, Deo vero nota, assumpsi presumptionem nimiam et auxi michi iudicii terribilis grauiorem equitatem. Ad secundum dico, quod dedi episcopo siliquas de ara porcorum, quia nature mee incentiua effundendo perficiebam nec in cohercendo stabilis permanebam. **12** Ad tertium. Ideo posui coronam episcopalem sub pedibus, quia placuit michi magis facere misericordiam propter fauorem hominum quam iusticiam pro honore et amore Dei. **13** Ad quartum. Ideo expuens triticum masticabam stramina, quia verba Dei non loquebar ex amore Dei nec delectabat me illa facere, que aliis proponebam. Ad quintum. Ideo alios soluens meipsum ligabam, quia venientes ad me cum contricione absoluebam et illa, que illi penitendo deflebant et flendo relinquebant, hec me delectabat adimplere. **14** Ad sextum. Ideo alios unxi unguento

sanatio et meipsum mortifero, quia docendo vite puritatem alios emendaui et meipsum deterioraui. Nam illa, que precepi aliis, hec ipse nolui mouere digito. **15** Et unde alios vidi proficere, inde ipse deficiendo tabescebam, quia me delectabat magis commissis peccatis meis sarcinam addere quam ea emendando alleuiare.’

**16** Post hec audita est vox quedam dicens: ‘Regraciare Deo, quod non es cum illis venenosis vasis, que, cum dissoluentur, vadunt ad ipsum venenum.’ Et sic statim alter istorum mortuus nunciabatur.”

*Verba Virginis ad filiam vitam et ordinem sancti Dominici commendancia, et qualiter tempore mortis conuersus est ad Virginem, et qualiter modernis temporibus pauci de suis fratribus sequuntur signum Christi passionis per Dominicum eis datum et multi vadunt post signum incisionis per dyabolum eis oblatum. Capitulum XVII.*

**1** Item loquitur Mater ad sponsam dicens: “Dixi tibi heri de duobus, qui erant de regula sancti Dominici. Certe ipse Dominicus filium meum habuit pro suo carissimo domino et me matrem eius dilexit plus quam cor suum. **2** Huic sancto inspirauit filius meus tria esse in mundo, que displicebant eidem filio meo, superbiam scilicet, et cupiditatem et concupiscenciam carnis. **3** Ad quarum trium diminucionem sanctus Dominicus impetrauit maximis suspiriis auxilium et medicamentum. Cuius Deus compassus lacrimis inspirauit ei legem et regulam viuendi, in qua ipse sanctus contra tria mala mundi tria bona instituit. **4** Nam contra vicium concupiscencie instituit nil possidere nisi cum licencia prioris sui. Contra superbiam instituit habere humilem habitum et simplicem. Contra carnis insaciabilem voraginem instituit abstinenciam et tempus debitum ad se regulandum. **5** Priorem quoque constituit fratribus suis ad obseruacionem pacis et custodiam unitatis. Deinde volens quoddam spirituale signum dare fratribus suis impressit quasi unam spiritualem crucem et rubeam in sinistro brachio eorum iuxta cor, hec per doctrinam et exempli sui efficaciam, quando docuit et monuit eos continue recordari passionem Dei, predicare feruenter verba Dei non propter mundum sed propter amorem Dei et animarum. **6** Docuit insuper illos magis subiici quam preesse, voluntatem propriam odire, contumelias pacienter ferre, nil preter victum et vestitum desiderare, veritatem corde diligere et ore proferre, laudem propriam non querere, sed diuina verba semper in ore habere et docere et illa non propter pudorem dimittere nec propter fauorem humanum recitare. **7** Cumque instaret tempus resolucionis eius, quod filius meus in spiritu ostendit ei, iuit ad me, matrem eius, cum lacrimis dicens: ‘O Maria, regina celi, quam ipse Deus preelegit sibi in coniunccionem deitatis et humanitatis. **8** Tu es illa singularis virgo et singulariter mater dignissima. Tu es illa potentissima, de qua ipsa potestas prodiit. Audi me rogantem te! Quia enim scio te potentissimam, ideo presumo de te. Suscipe fratres meos, quos educaui et foui sub stricto scapulari meo, et defende eos sub lato mantello tuo! **9** Rege eos et refoue, ne hostis antiquus preualeat eis et ne dissipet vineam nouellam, quam plantauit dextera Filii tui! Quid vero, domina mea, aliud noto per scapulare strictum, quod palliolum unum habet ante pectus et aliud retro, nisi duplicem consideracionem, quam ad fratres meos habui? **10** Sollicitabar quippe nocte et die pro eis, quomodo in racionabili et laudabili deseruient Deo temperancia. Orabam eciam pro eis, ne quid de mundo concupiscerent, quod vel Deum offenderet aut famam humilitatis et pietatis apud proximum denigraret. **11** Nunc igitur, quia tempus remuneracionis mee instat, assigno tibi membra mea. Doce ergo eos sicut filios et porta eos sicut mater.’ **12** Cum hiis enim verbis et aliis vocatus est Dominicus in gloriam Dei.

Cui ego per similitudinem loquendo respondi taliter: 'O Dominice, amice dilecte, quia dilexisti me plus quam te, ego sub lato mantello meo defendam et regam filios tuos, necnon et omnes, qui in regula tua perseuerant, saluabuntur. **13** Mantellus vero meus latus misericordia mea est, quam nulli feliciter petenti denego. Sed omnes, qui querunt sub misericordie mee sinu, proteguntur.' **14** Sed quid credis tu, o filia mea, quod regula Dominici sit? Utique humilitas, continencia et contemptus mundi, nam omnes, qui hec tria assumunt et perseuerando diligunt, numquam dampnabuntur, et hii sunt, qui tenent regulam beati Dominici. **15** Sed audi mirabile: Dominicus assignauit filios suos sub mantello meo lato, et ecce pauciores sunt nunc sub mantello meo lato, quam erant tunc sub scapulari suo stricto. Nec tamen omnes viuentis adhuc ipso Dominico habuerunt ouina vellera et Dominicanos mores, sicut melius per exemplum ostendo tibi mores eorum. **16** Si Dominicus descenderet de altitudine celesti, in qua est, et diceret furi, qui prodit de valle et considerat oues ad mactandum et perdendum: 'Cur', inquit, 'vocas et abducis oues meas, quas ex signis euidentissimis cognosco esse meas?', **17** respondere potest fur: 'Cur, Dominice, approprias tibi illa, que tua non sunt? Nam subrepcio violenta est aliena usurpare sibi.' Si respondere voluerit Dominicus se enutrisse eas et domuisse et precessisse et docuisse, dicturus est fur: 'Si tu enutristi eas et docuisti, tunc ego blandiendo suauiter reduxi eas ad voluntatem propriam. **18** Si tu lenitatem cum austeritate miscebas eis et ego alliciebam eas blandius et ostendebam, quod delectabat eas suauius, et ecce plures currunt ad pastum et vocem meam. Et ideo oues, que sequuntur me feruencius, cognosco esse meas, quia liberum habent arbitrium sequendi allicientem.' **19** Si responderit iterum Dominicus, quod oues sue signate sunt signo rubeo in corde, dicturus est fur: 'Oues mee signate sunt signo meo, signo scilicet incisionis in dextra aure. Et, quia manifestius et euidentius est signum meum signo tuo, ideo cognosco oues meas.' **20** Fur igitur iste dyabolus est, qui de ouibus Dominici plures sibi incorporauit, que incise sunt in dextra aure, quia non audiunt verba vite dicentis: 'Arta via est in celum', sed sola illa delectabiliter audiendo perficiunt, que eas delectat adimplere. Oues vero Dominici pauce sunt, que signum habent rubeum in corde, quia passionem Dei cum caritate recolunt et verba Dei predicantes feruenter vitam beatam ducunt in omni castitate et paupertate. **21** Nam hec est regula Dominici, sicut vulgo dicitur: 'Omnia sua portare in dorso, nichil velle possidere nisi quod permittit regula. Non solum dimittere superflua sed et a licitis et necessariis quandoque propter carnis motus se temperare.'"

*Verba Matris ad filiam, quod cicius fratres nunc audiunt vocem dyaboli quam sui patris Dominici, et quomodo nunc pauci imitantur vestigia eius, et qualiter episcopatus desiderantes propter mundi honorem et sui quietem et libertatem non sunt in regula sancti Dominici, et de terribili sententia contra tales et de experientia dampnationis pro tali episcopatu. Capitulum XVIII.*

**1** Loquitur Mater ad sponsam dicens: "Dixi tibi, quod omnes, qui sunt in regula Dominici, sunt sub mantello meo. Nunc auditura es, quam multi sunt tales. **2** Si Dominicus descenderet de loco deliciarum, in quo feliciter vere est, et clamaret taliter: 'O fratres dilecti, sequamini me, quia vobis reseruantur quatuor bona, scilicet honor pro humilitate, diuicie perpetue pro paupertate, sacietas sine fastidio pro continencia, vita eterna pro contemptu mundi', vix audiretur. **3** Sed si econtra statim ascenderet dyabolus de conualle clamaretque alia quatuor dissimilia, 'vobis Dominicus', inquit, 'promisit quatuor. Videte me, ego enim vobis, que desideratis, ostendam manu. **4** Nam ecce, honorem offero, diuicias habeo in manu, voluptas in promptu est, mundus erit delectabilis ad fruendum. Suscipite igitur, que offero! Utamini hiis, que certa sunt! Viuite cum gaudio, ut post obitum simul gaudeatis!' **5** Si iste due voces nunc sonarent in mundo, plures current ad vocem latronis dyaboli quam ad vocem Dominici, amici mei tam preclari. Et quid

dicam de fratribus Dominici? **6** Certe pauci sunt qui sunt in regula eius, et pauciores sunt qui imitando sequuntur vestigia eius. Nam non omnes audiunt unam vocem, quia non sunt omnes de uno genere, non quod non sint omnes a Deo, et non quod omnes saluari non possint, si volunt, sed quia non omnes audiunt vocem Filii Dei dicentis: 'Venite ad me, et ego reficiam vos, scilicet dando meipsum!'

**7** Sed quid dicam de illis fratribus, qui propter mundum desiderant episcopatus? Numquid sunt in regula Dominici? Nequaquam. Aut qui acceptant episcopatus rationabili de causa, numquid excluduntur a regula Dominici? **8** Non utique, nam beatus Augustinus regulariter vixit ante episcopatum, sed in episcopatu non reliquit regularem vitam, quamvis ascenderit ad maiorem honorem. **9** Assumpsit enim honorem inuitus non ad quietem sed certe ad maiorem laborem, quia videns se posse prodesse animabus libenter propter Deum reliquit voluntatem propriam et quietem carnis, ut plures lucrifaceret Deo suo. **10** Propterea, qui sic desiderant et assumunt episcopatus, ut animabus eo magis proficiant, ipsi sunt in regula Dominici et merces eorum duplicabitur, tum propter regule dulcedinem, a qua abstracti sunt, tum propter onus episcopale ad quod sunt vocati. **11** Propterea iuro super eum Deum, super quem iurabant prophete, qui non iurabant propter impacientiam, sed quia receperunt Deum in testimonium verborum suorum. Sic ego dico et iuro super eundem Deum, quod veniet fratribus illis, qui contempserunt regulam Dominici, venator de potestate cum effrenatis canibus, tamquam si seruus diceret domino: **12** 'Multe', inquit, 'oues intrauerunt ortum tuum, quarum carnes venenate sunt et vellera sordibus conglobata, quarum lac inutile est et lasciuiam nimis insolescens. **13** Iube', inquit, 'eas abscidi, ne pascua pro ouibus utilibus deficiant et ne bone oues ex insolentia malarum perturbentur.' Cui responderet dominus: 'Claude foramina, ne alique ingrediantur nisi quas michi bene conuenit et expedit educare et pascere et que pacifice sunt et honeste.' **14** Sic ego dico, quod prius clauduntur aliqua foramina sed non omnia. Post veniet venator cum canibus, qui non parcat velleribus a sagittis, non corporibus a vulneribus, ad hoc, ut vita finiatur. **15** Deinde venient custodes, qui diligenter considerabunt et attendent, de quo genere fuerint oues, que ad pastum domini intromittuntur."

**16** Respondens sponsa dixit: "O domina, ne indigneris, si quero. Cum papa mitigauit eis austeritatem regule, numquid reprehendendi sunt, si comedunt carnes vel cetera, que apponuntur?" **17** Respondit Mater: "Papa considerans infirmitatem nature humane simul et defectum, quem quidam proposuerunt, rationabiliter permisit comedere carnes ad hoc, ut habiliores et feruenciores essent in predicando et laborando, non ut desidiores et dissoluciores apparerent, et ideo excusamus papam de hac permissione." **18** Dixit iterum sponsa: "Dominicus instituit habere vestes non de optimis nec de vilissimis pannis sed de medie temperatis. Numquid reprehendendi sunt, si de melioribus induuntur?" **19** Respondit Mater: "Dominicus, qui regulam de spiritu filii mei dictauit, precepit habere vestes non de melioribus et preciosioribus, ne forte arguerentur et notarentur de pulchro habitu et precioso, et sic superbirent. **20** Instituit eciam non habere vestes de vilissimis et durissimis, ne propter duriciam vestis inquietarentur nimium in capiendo sompnum post laborem. Sed instituit vestes habere medie temperatas et necessarias, de quibus non superbirent et in quibus nil vanitatis haberent, sed per eas frigus carnis expellerent et ad virtutum profectum continuum se munirent. **21** Et ideo laudamus Dominicum in institutione sua, sed fratres suos reprehendimus, eos videlicet, qui habitum suum ad vanitatem transformant, non ad utilitatem."

**22** Dixit iterum sponsa: "Numquid reprehendendi sunt illi fratres, qui filio tuo edificant ecclesias altas et sumptuosas? Aut vituperandi et diiudicandi sunt, si ad tales structuras perficiendas plura mendicant?" Respondit Mater: "Quando ecclesia in tantum lata est, quod capit ingredientes, **23** quando muri tantum in altum excreuerint, quod non coartant introeuntes, quando murorum spissitudo tam fortis est, quod non a quolibet vento dissoluatur, quando tectura tam firmiter compacta est, quod non stillat, sufficiat eis edificasse. **24** Nam placet Deo magis cor humile in humili ecclesia quam alti muri, in quibus corpora sunt

intra sed corda abextra. Propterea non habent necesse implere arcas auro et argento propter edificia, quia non profuit Salomoni edificasse tam sumptuosa edificia, ex quo neglexit Deum diligere propter quem edificabantur.”

**25** Hiis dictis et auditis statim senior quidam episcopus, qui supra nunciabatur mortuus, clamabat dicens: 'O, o, o, ablata est mitra et ecce apparet, quod latebat subtus. Ubi est nunc honorabilis episcopus? Ubi sacerdos venerandus? Ubi pauper frater? **26** Certe abest episcopus, qui unctus fuit oleo in officium apostolicum et in puritatem vite. Remanet vero seruus sterquilini pinguedine maculatus. Abest etiam sacerdos, qui consecratus fuit verbis sanctis, ut mutaret inanimatum et mortuum panem in viuificantem Deum. **27** Remanet vero proditor fallax, qui vendidit eum propter cupiditatem, qui redemit omnes ex caritate. Abest quoque frater pauper, qui cum iuramento abnegauit mundum, sed nunc pro superbia et ostentacione mea sum iudicatus. **28** Verumptamen nunc compellor dicere veritatem, quod ille iustus iudex, qui iudicauit me, magis voluisset me liberare tam amara morte, sicut tunc paciebatur, cum staret in ligno crucis, sed iusticia, cui obuiare non poterat, contradicebat, quam quod aliter fuisset, sicut nunc experior, iudicatus.”

*Responsio sponse ad Christum, qualiter diuersis cogitacionibus et inutilibus afficitur, et quomodo eas remouere non poterat, et responsio Christi ad sponsam, quare istud permittitur a Deo, et de magna utilitate cogitacionum cum detestacione et timoris cum discrecione ad coronam habita, et quod peccatum veniale non debet contempni, ne inducat in mortale. Capitulum XIX.*

**1** Loquitur Filius ad sponsam: "Quid turbaris et sollicita es filia?" Respondit illa: "Quia diuersis cogitacionibus et inutilibus afficio, quas remouere non possum, et iudicii tui terribilis audicio me conturbat." Respondit Filius: "Hec est vera iusticia. **2** Sicut enim prius delectabar in affectionibus mundi contra velle meum, sic nunc permittuntur tibi cogitaciones varie contra velle tuum. Verumptamen time cum discrecione et confide fortiter in me, Deo tuo, sciens pro certissimo, quod, quando mens non delectatur in cogitacionibus peccati, sed reluctatur eis detestando eas, purgacio sunt anime et corona. **3** Si vero modicum peccatum, quod intelligis esse peccatum, delectat te facere et facis ex confidentia abstinentie et presumpcione gracie, nec assumis penitentiam nec aliam facis emendacionem, scito illud posse fieri mortale. Propterea, si in mentem venerit aliqua peccati delectacio, qualiscumque fuerit, considera statim, ad quid tendit, et penitere. Nam postquam natura hominis debilitata est ex infirmitate eius, pluries procedit peccatum. **4** Non enim est homo, qui non peccat saltem venialiter, sed Deus misericors dedit homini remedium dolere, scilicet de omni peccato, necnon et emendata timere, ne forte non bene emendata sint. **5** Nam nichil ita odit Deus, sicut scire peccatum nec curare aut ex meritis aliquibus presumere, quasi Deus ideo toleraret aliquod peccatum tuum, quasi sine te non posset honorari, aut ideo licite permetteret tibi facere unum malum, quia fecisti plura bona, cum magis etiam, si centies fecisses bene pro unoquoque malo, adhuc non sufficeres rependere Deo pro caritate et bonitate sua. **6** Propterea time racionabiliter et, si cogitaciones prohibere non poteris, saltem fer pacienter et conare contra eas voluntate. Non enim dampnaberis pro eis, si ingrediuntur, quia non est tuum prohibere, nisi in eis delectaberis. **7** Time etiam quamuis cogitacionibus non consentis, ne forte propter superbiam cadas. Omnis enim qui stat, solius Dei virtute stat. Ideo timor inductorium quoddam est in celum. **8** Nam multi ideo lapsi sunt in precipitium et mortem propriam, quia timorem diuinum abiecerunt a se et ibi erubuerunt confiteri coram hominibus, ubi non erubescabant peccare coram Deo. Ideo, qui pro modico peccato non curat petere veniam, huic et ego



dedignabor relaxare peccatum. **9** Et sic ex exercitacione auctis peccatis illud, quod ex contricione remissibile et veniale erat, ex negligencia et contemptu fiet valde graue, sicut in hac anima iam iudicata perpendere poteris.

**10** Postquam enim veniale et remissibile commisit, auxit per consuetudinem confidens de bonis suis aliquibus operibus quasi minora non attendendo, quod iudicarem. **11** Et sic irretita anima per consuetudinem delectacionis inordinate non correxit nec conpescuit voluntatem peccati, donec iudicium erat in foribus et ultimus punctus appropinquabat. **12** Ideo appropinquante fine inuoluebatur subito consciencia eius miserabiliter et doluit, quod cito moreretur timens separari ab illo modico temporali, quod diligebat. Nam Deus usque ad ultimum punctum suffert hominem et expectat, si forte homo peccator voluntatem suam omnem, quam habet liberam, mouere voluerit ab affectu peccati, **13** sed quia voluntas non corrigitur, ideo anima fine infinito constringitur, quia dyabolus sciens, quod unusquisque secundum conscienciam et voluntatem iudicabitur, laborat maxime in fine, ut anima ludificetur et euertatur ab intencionis rectitudine, quod et fieri permittit Deus, quia anima, cum deberet, renuit vigilare.

**14** Noli insuper confidere et presumere nimium, si quem dico amicum et seruum, sicut vocaui istum prius, quia eciam Iudas vocatus est amicus et Nabugodonosor seruus. **15** Nam sicut dixi personaliter: 'Vos amici mei estis, si feceritis, que precipio vobis', sic dico nunc: 'Amici sunt, cum me imitantur; inimici sunt, cum me et mandata mea contempnendo persequuntur.' **16** Numquid non Daudid, postquam dictum est, quod inueni hominem secundum cor meum, excessit per homicidium? Salomon, cui tam mirifica data et promissa sunt, excessit a bonitate et non est completa in eo promissio propter ingratitude eius sed in me, filio Dei. **17** Propterea, sicut in dictamine tuo ponitur clausula cum finali, sic ego in locucione mea clausulam istam pono et finalem. **18** Si quis fecerit voluntatem meam et dimiserit suam, hereditatem accipiet vitam eternam. Qui vero audierit nec faciendo perseuerauerit, erit sicut seruus inutilis et ingratus. **19** Sed nec debes diffidere, si quem dico inimicum, quia statim ut inimicus mutauerit voluntatem ad bonum, erit amicus Dei. Numquid non Iudas erat cum duodecim unus, quando dixi: 'Vos amici mei estis, qui secuti estis me, et sedebitis super sedes duodecim.' **20** Tunc quidem temporis sequebatur me Iudas, nec tamen sedebat cum duodecim. Quomodo ergo completi sunt sermones Dei? Respondeo tibi: Deus, qui videt corda et voluntates hominum, secundum illa iudicat et remunerat, que videt. **21** Homo vero secundum, quod videt in facie, iudicat. Ideo, ne bonus superbiret vel malus diffideret, vocauit Deus ad apostolatam ita bonos sicut et malos, sicut et cotidie vocat ad dignitates bonos et malos, ut omnis qui officium tenet cum vita gloriatur in eterna vita. **22** Qui vero honorem habet absque onere gloriatur ad tempus in eternum periturus. Ergo, quia Iudas non sequebatur me corde perfecto, non pertinuit ad eum 'qui secuti estis me', quia non perseuerauit usque ad remuneracionem, sed ad eos, qui perseueraturi erant tam presentes tunc temporis quam futuri, **23** quia dominus, in cuius conspectu sunt omnia, quandoque loquitur in presenti, que ad futura pertinent, et de faciendis tamquam iam sint facta. Quandoque eciam preteritum futurumque permiscet et preterito utitur pro futuro, ut nullus presumat discutere consilium impermutabile trinitatis. **24** Audi adhuc unum verbum: 'Multi sunt vocati, pauci vero electi'. Sic iste vocatus ad episcopatum sed non electus, quia ingratus gracie Dei. Ideo nomine episcopus sed merito degenerans cum hiis, qui descendunt et non ascendunt, computatur."

#### *Addicio*

**25** Filius Dei loquitur: "Miraris, filia, quare alius episcopus habuit pulcherrimum finem, alius ita horrendum, nam paries cadens confregit eum totum et modicum superuixit et hoc modicum cum ingenti dolore. **26** Respondeo tibi: Scriptura dicit, ymmo ego ipse dixi, quod iustus, qualicumque morte moritur, iustus est apud Deum, sed homines mundi hunc iustum reputant, qui pulchrum exitum habebit sine dolore

et pudore. **27** Deus vero hunc discernit iustum, qui a diutina abstinencia probatus est vel qui pro iusticia tribulatur, quia amici Dei quasi tribulantur in hoc mundo aut ad minus supplicium in futuro aut ad maiorem coronam in celo, **28** nam Petrus et Paulus pro iusticia mortui sunt sed Petrus amarius Paulo, quia plus dilexit carnem Paulo, et, quia Ecclesie mee accepit primatum, debuit et se michi amariori morte conformare. **29** Paulus vero, quia plus dilexit continenciam, quia plus laboravit, tamquam miles egregius gladium obtinuit, quia ego dispono omnia secundum merita et secundum mensuram. **30** Propterea in iudicio Dei non coronat vel dampnat finis vel mors contemptibilis sed intencio et voluntas hominum et causa. Simile est de istis duobus episcopis. **31** Nam alius paciebatur amariorem penam et despeccioorem mortem. Hoc fuit ei ad minorem penam, quamuis non ad gloriam, quia non paciebatur bona voluntate. Quod vero alius obtinuit gloriosum finem, hoc fuit ex occulta iusticia mea sed non ei ad premium eternum, quia non correxit voluntatem suam, dum viuebat.”

*Verba Matris ad filiam, quomodo per talentum dona Spiritus Sancti designantur, et qualiter sanctus*

*Benedictus sibi donum Spiritus Sancti datum multiplicauit, et per que Spiritus Sanctus vel spiritus*

*dyabolicus hominis animam ingreditur. Capitulum XX.*

**1** Mater loquitur: ”Filia, scriptum est, quod qui quinque talenta acceperat, alia quinque lucratus est. Quid enim est talentum nisi donum Spiritus Sancti? Nam alii accipiunt scienciam, alii diuicias, alii apud diuites familiaritatem, et tamen omnes duplum reportare debent Domino suo lucrum, scilicet de sciencia viuendo utiliter sibi et alios instruendo, **2** de diuiciis et ceteris donis utendo racionabiliter et aliis misericorditer subueniendo. Sic ille bonus abbas Benedictus donum gracie, quod acceperat, multiplicauit, quando omne contempsit, quod transitorium erat, quando carnem suam seruire coegit anime, quando nichil preposuit diuine caritati. **3** Qui insuper timens, ne aures macularentur auditu inani, oculi visione delectabilium, fugit in heremum imitans illum, qui nondum natus exultando intra viscera materna cognouit aduentum sui piissimi redemptoris. **4** Qui quidem Benedictus eciam sine heremo obtinisset celum, quia mundus erat ei mortuus et cor eius totum plenum Deo. Sed placuit Deo vocare Benedictum in montem, ut, cum pluribus innotesceret, plures eius exemplo ad perfeccionis vitam incitarentur. **5** Huius beati viri corpus erat quasi saccus terre, in quo claudebatur ignis Spiritus Sancti, qui exclusit ab eius corde dyabolicum ignem. Sicut enim ignis corporalis ex duobus accenditur, ex aere scilicet et flatu hominis, sic Spiritus Sanctus ingreditur animam hominis vel per inspiracionem personalem aut per aliquam operacionem humanam seu locucionem diuinam mentem excitat ad Deum. **6** Similiter spiritus dyabolicus visitat suos, sed differunt incomparabiliter, nam Spiritus Sanctus calefacit animam ad querendum Deum, sed non comburit carnaliter. **7** Lucet eciam puritate modestie, sed non obfuscat mentem malicia. Spiritus vero nequam comburit mentem ad carnalia et amaricat intolerabiliter. Obfuscat quoque animam per inconsideracionem sui et deprimit eam inconsolabiliter ad terrena. **8** Ergo, ut ignis iste bonus, qui erat in Benedicto, igniret plures, vocauit Deus Benedictum in montem, qui conuocatis ad se pluribus scintillis fecit de eis per Spiritum Dei maximum rogom et composuit eis regulam de Spiritu Dei, per quam multi perfecti facti sunt sicut Benedictus. **9** Nunc autem multe faces proiecte de rogo sancti Benedicti iacent ubique disperse habentes pro calore frigiditatem, pro luce tenebras. Que si in igne iacerent conglobate, darent utique ex se flammam et calorem.”

*Verba Matris ad filiam sancti Benedicti vite magnificenciam et perfeccionem per exemplum ostendencia, et quomodo anima mundo fructificans per lignum infructiferum et superbia mentis per silicem et anima frigida per cristallum designantur, et de tribus scintillis valde notandis ab hiis tribus, scilicet cristallo, silice et ligno ortis. Capitulum XXI.*

**1** Loquitur Mater: "Dixi tibi prius, quod corpus beati Benedicti erat quasi saccus, qui disciplinabatur et regebatur, sed non regebat. Denique eius anima erat quasi angelus, qui dedit ex se calorem magnum et inflammacionem, sicut per exemplum ostendo tibi, quasi si essent tres ignes, quorum primus succensus in mirra dedit ex se odorem suavitatis. **2** Secundus succensus erat in arido. Qui dedit ex se carbones ardentes et splendorem fulgentem. Tercius succendebatur in oliua. Qui dedit ex se flammam, lumen et calorem. In hiis tribus ignibus intelligo tres personas et in tribus personis tres status in mundo.

**3** Primus status erat eorum, qui considerata caritate Dei reliquerunt voluntatem propriam in manus aliorum, qui pro vanitate et superbia mundi assumpserunt paupertatem et abieccionem, pro intemperancia dilexerunt continenciam et puritatem. **4** Isti habuerunt ignem in mirra, quia sicut mirra amara est, sed tamen fugat demonia et extinguit sitim, sic abstinencia eorum amara erat corpori, sed tamen extinguebat inordinatam concupiscenciam et omnem potestatem demonum euacuabat.

**5** Secundus status erat eorum, qui cogitabant secum taliter: 'Ad quid diligimus honorem mundi, cum non sit aliud nisi quasi aer verberans aures? Ad quid diligimus aurum, cum non sit nisi terra rubea? Quis vero finis carnis nisi putredo et fauilla? **6** Ad quid vero nobis prodest concupiscere terrena, cum omnia sint vanitas. Propterea ad hoc solum viuere et laborare volumus, ut Deus honoretur in nobis et ut alii ex verbis nostris et exemplis ad Deum igniantur.' **7** Isti tales ignem habuerunt in arido, quia amor mundi fuit eis mortuus et quilibet eorum dabat ex se ardentes carbones iusticie et fulgorem diuine predicacionis.

Tercius status erat illorum, qui de amore Christi passionis feruentes toto desiderio affectabant mori pro Christo. **8** Isti ignem suum habuerunt in oliua. Sicut enim oliua in se habet pinguedinem et feruenciorum calorem cum incenditur, sic isti totaliter impinguati fuerunt diuina gracia, ex qua dederunt ex se lumen diuine sciencie, ardorem feruenciorum caritatis, robor honestissime conuersacionis.

**9** Isti tres ignes longe lateque se dilatauerunt. Quorum primus incensus fuit in heremitis et religiosis, sicut describit Ieronimus, qui vitas eorum inspiratus Spiritu Sancto inuenit mirabiles et merito imitandas. **10** Secundus ignis incensus fuit in confessoribus et doctoribus. Tercius in martiribus, qui carnem suam pro Deo contempserunt, et alii, qui contempsissent, si a Deo auxilium obtinuissent. Ad quosdam igitur istorum trium statuum et ignium missus fuit beatus Benedictus, qui conflauit tres ignes in unum in tantum, quod qui insipientes erant illuminabantur, qui frigidi inflammabantur, qui feruentes erant feruenciores efficiebantur. **11** Et sic cum hiis ignibus incepit religio Benedicti, que unumquemque iuxta dispositionem et capacitem sensus sui dirigebat in viam salutis et eterne felicitatis.

**12** Nunc autem sicut de sacco beati Benedicti spirabat dulcedo Spiritus Sancti, per quem multa monasteria innouabantur, sic de sacco multorum fratrum eius discedit Spiritus Sanctus, quia calor cineris extinctus est et faces iacent disperse nec dantes ex se calorem nec splendorem sed fumum impuritatis et cupiditatis. **13** Verumptamen ad solacium multorum dedit michi Deus scintillas tres, in quibus intelligo plures. Prima extracta est de cristallo per solis calorem et splendorem, que se iam in arido fixit, ut fiat ex ea magnus

ignis. **14** Secunda extracta est de duro silice; tertia de ligno infructuoso, quod creuit cum radicibus suis et folia sua dilatauit. **15** Per cristallum vero, qui est lapis frigidus et fragilis, significatur anima illa, que licet frigida sit in amore Dei, tamen voluntate et affectu conatur ad perfeccionem et rogat Deum sibi in adiutorium. **16** Ideo voluntas ista portat eam ad Deum et meretur, ut accrescant ei temptationes, per quas frigescit a temptatione praua, donec Deus irradians cor sic figit se in anima a voluptate vacua, ut iam non velit viuere nisi ad honorem Dei. **17** Per silicem vero significatur superbia. Quid enim durius est superbia mentis illius, que omnium desiderat laudes et tamen concupiscit vocari humilis et videri deuota? **18** Quid abhominabilius anima illa, que omnibus in cogitatione se prefert et a nullis patitur obiurgari nec doceri? Verumptamen multi sic superbi petunt humiliter a Deo, ut ab eorum cordibus auferatur superbia et ambicio. **19** Propterea Deus cooperante voluntate bona amouet a cordibus eorum contraria et <ammouet> quandoque mollia, quibus et a mundialibus retrahuntur et ad celestia incitantur. **20** Per lignum vero infructuosum significatur anima illa, que nutrita in superbia fructificat mundo et desiderat habere mundum ad omnem honorem suum. Attamen, quia timet mortem eternam, multos stipites peccati extirpat, que aliter, si non timeret, perpetraret. **21** Propterea Deus propter istum timorem appropinquat anime et inspirat gratiam suam, ut lignum inutile fiat fructuosum. Itaque cum talibus scintillis religio beati Benedicti renouari debet, que modo multis videtur desolata et abiecta.”

*Verba Matris ad filiam de monacho habente cor meretricum in pectore, et quomodo per propriam voluntatem et concupiscenciam et subterfugionem ab angelica vita a Deo apostatauit. Capitulum XXII.*

**1** Item Mater loquitur sponse: ”Quid vides in isto, qui astat, reprehensibile?” Respondit illa: ”Quod rarissime dicit missam.” Cui Mater: ”Non est ideo iudicandus. Sunt enim multi, qui factorum suorum memores racionabiliter abstinent et non minus michi sunt accepti. Sed que vides in eo alia?” **2** Et illa: ”Quod non habet vestes a beato Benedicto institutas.” Cui Mater: ”Contingit multociens, quod consuetudo quedam inchoatur, et omnes, qui sciunt eam esse malam et imitantur, reprehendendi sunt. Qui vero ignorant instituta laudabilia essentque libenter contenti de abiectoribus, si non consuetudo longinqua preualeret, tales non sunt faciliter et improbe iudicandi. **3** Sed audi, et indicabo tibi, quod in tribus aliis reprehendus est: Primo, quod cor eius, in quo Deus quiescere deberet, est in pectore meretricum. Secundo, quod dimisit modicum suum et concupiscit multa aliena; promisit abnegare seipsum et sequitur totam propriam voluntatem. **4** Tercio, quod Deus creauit animam eius pulchram quasi angelum et ob hoc deberet habere angelicam vitam, sed modo anima eius ymaginem habet illius angeli, qui per superbiam a Deo apostatauit. **5** Hic apud homines magnus est, sed qualis apud Deum nouit Deus. Ipse enim Deus est, sicut ille qui clausum aliquid habens in pugno abscondit illud ab aliis, donec aperit pugnum. Sic Deus infirma elegit et coronas eorum in presenti abscondit, donec unicuique reddit secundum opera sua.”

*Declaracio*

**6** Hic fuit abbas nimis secularis nil curans de animabus, qui subito mortuus est sine sacramentis, de quo dixit Spiritus Sanctus. ”O anima, dilexisti terram et iam terra recepit te. **7** Mortuus es vita tua et iam non habebis vitam meam nec mecum eris particeps, quia societatem eius dilexisti, qui a me per superbiam lapsus est et contempsit veram humilitatem.”

*Responsio Dei Patris ad preces sponse pro peccatoribus, et quomodo tres sunt, qui testimonium dant in terra, sicut tres in celo, et qualiter tota trinitas perhibet sponse testimonium, et qualiter sponsa sua sit per fidem et omnes, qui fidem rectam sancte Ecclesie imitantur. Capitulum XXIII.*

*1* "O mi dulcissime Deus, rogo te pro peccatoribus, in quorum consorcio ego sum, ut eis misereri digneris." Respondit Deus Pater: "Audio et scio voluntatem tuam, ideo perficietur oratio caritatis tue. Propterea, sicut dicit Iohannes in epistula sua hodie, ymmo ego per Iohannem: *2* 'tres sunt, qui testimonium perhibent in terra, spiritus, aqua et sanguis, et tres in celo, Pater et Filius et Spiritus Sanctus', sic tres dant tibi testimonium. Nam Spiritus, qui custodiuit te in visceribus matris, testificatur anime tue, quod Dei es per fidem baptismi, quam profitebantur ex parte tua parentes. *3* Testimonium perhibet tibi ipsa aqua baptismatis, quod humanitatis Christi es filia per renouacionem et emandacionem prime transgressionis. Testimonium quoque perhibet tibi sanguis Iesu Christi, quo redempta es, quod deitatis es filia et a potestate dyabolica per sacramenta Ecclesie segregata. *4* Nos quoque Pater et Filius et Spiritus Sanctus, tres in personis sed unum in substancia et potencia, testimonium tibi perhibemus, quod nostra es per fidem, similiter et omnes, qui rectam fidem sancte Ecclesie imitantur. *5* Et in testimonium, quod velis facere voluntatem nostram, procede et recipe de manu sacerdotis corpus et sanguinem humanitatis Christi, ut testimonium perhibeat tibi Filius, quod eius es, cuius corpus sumis in robur anime. *6* Testimonium perhibet tibi Pater, qui est in Filio, quod Patris es et Filii. Testimonium perhibet tibi Spiritus Sanctus, qui est in Filio et Patre et Spiritus in utroque, quod trium et unius es per fidem veram et dileccionem."

*Responsio Iesu Christi ad sponse preces pro infidelibus, scilicet quod Deus ex malicia malorum hominum honoratur, licet non ex virtute eorum et voluntate, quod sibi probat per exemplum, in quo Ecclesia vel anima per virginem et nouem ordines angelorum per nouem fratres virginis, Christus per regem, tres status hominum per tres filios regis designantur. Capitulum XXIII.*

*1* "O Domine mi Iesu Christe, rogo te, ut fides tua dilatetur super infideles, boni accendantur caritate tua amplius, mali vero meliorentur." Respondit Filius: "Tu turbaris ex eo, quod Deus minorem habet honorem. Desideras vero toto corde, ut perficiatur honor Dei. *2* Ideo do tibi unum exemplum, quo intelligere poteris, quod Deus eciam ex malicia malorum honoratur, licet non ex virtute et voluntate eorum. Nam virgo quedam erat sapiens et decora, diues et morigerosa, que habebat nouem fratres, quorum quilibet diligebat sororem suam sicut cor suum, et uniuscuiusque cor erat quasi in illa. *3* In regno vero, ubi virgo erat, tale erat statutum, quod, quicumque honoraret, honoraretur, qui depredaret, depredaretur, qui vero violaret, decapitaretur. *4* Rex vero regni habebat tres filios, quorum primus diligebat virginem et presentauit ei calceos deauratos cum cingulo aureo, anulum in manu et coronam super caput. Secundus vero concupiuit possessionem virginis et depredauit eam. Tercius concupiuit virginitatem virginis laborans, ut eam violaret. *5* Isti vero tres filii regis capti sunt a nouem fratribus virginis et presentati regi. Cui dixerunt fratres: 'Sororem nostram concupierunt filii tui. Primus quidem honorauit eam et dilexit toto corde. Secundus spoliauit eam. Tercius vero libenter dedisset vitam suam, si valisset violare eam. *6* In illo vero puncto rapti sunt, quo voluntatem completam habuerunt ad ista iam dicta perficienda.' Quibus auditis respondit rex: 'Omnes', inquires, 'filii mei sunt et omnes equaliter diligo. Verumptamen contra iusticiam facere non possum nec volo, sed ita de filiis sicut de seruis iudicare intendo. *7* Itaque, tu fili mi, qui honorasti

virginem, veni et accipe honorem et coronam cum patre tuo. Tu vero fili, qui concupisti possessionem virginis et rapuisti, intrabis quidem carcerem, donec restituantur ablata. **8** Audiui enim testimonium super te, quod penitens de facto tuo voluisti reddere ablata, sed quia preuentus celeri et inopinato iudicio non perfecisti, ideo manebis carceratus, donec restituatur quadrans. Tu vero, fili mi, qui ad violandam virginem omnes adhibuisti conatus nec de facto tuo penituisti, **9** ideo quot modos adhibuisti ad dehonestacionem virginis, tot modis aggrauabitur pena tua.’ Responderunt omnes fratres virginis: ’Laus sit tibi, iudex, pro iusticia tua. Nisi enim virtus fuisset in te et in iusticia tua equitas, in equitate vero tua caritas, numquam taliter iudicasses.’

**10** Hec autem virgo significat sanctam Ecclesiam, cuius dispositio est excellens in fide, pulchra in septem sacramentis, laudabilis in moribus et in virtutibus, amabilis in fructu, quia demonstrat veram viam ad eternitatem. **11** Hec sancta Ecclesia quasi tres habet filios, in quibus significantur plures. Primus sunt illi, qui diligunt Deum toto corde. Secundus sunt illi, qui temporalia diligunt ad honorem suum. Tercius sunt illi, qui preponunt Deo voluntatem suam. Virginitas vero Ecclesie anime sunt hominum a sola deitatis potencia create. **12** Primus ergo filius presentat calceos deauratos, quando contricionem suscipit pro commissis negligenciis et peccatis. Presentat vero vestes, quando precepta legis attendit, quando consilia euangelica seruat in quantum potest. **13** Componit cingulum, quando in continencia et castitate firmiter proponit perseuerare. Anulum quoque mittit in manum, quando firmiter credit, que precipit catholica Ecclesia, iudicium scilicet futurum et vitam sempiternam. **14** Lapis vero anuli spes est sperans constanter nullum peccatum esse tam abhominabile, quod penitencia et voluntate emendandi non deleatur. Coronam vero imponit capiti, quando caritatem veram habet. Sicut enim diuersi lapides sunt in corona, sic diuerse virtutes sunt in caritate. **15** Caput vero anime siue Ecclesie corpus meum est.

Hoc quicumque diligit et honorat, merito filius Dei appellatur. **16** Ergo quicumque tali modo sanctam Ecclesiam et animam suam diligit, hic nouem fratres habet, id est nouem ordines angelorum, quia eorum particeps et socius erit in eterna vita. **17** Ipsi enim angeli sanctam Ecclesiam toto amore amplectuntur, quasi in corde cuiuslibet eorum esset. Non enim Ecclesia sancta saxa et parietes sunt sed anime iustorum, et ideo de earum honore et profectu tamquam de proprio angeli gratulantur. **18** Secundus autem frater vel filius significat illos, qui constitutionem sancte Ecclesie contempnentes viuunt ad honorem mundi et amorem carnis, qui virtutum pulchritudinem transformantes viuunt secundum voluntatem suam, attamen circa finem penitent et conteruntur de factis suis malis. **19** Istis debetur purgacio, donec operibus et oracionibus Ecclesie Deo reconcilientur. Tercius filius significat illos, qui animam suam scandalizantes non curant, si eternaliter pereant, dummodo perficere possint voluntatem suam. **20** Super tales nouem ordines angelorum petunt iusticiam, quia per penitenciam conuerti contempserunt. Ergo cum Deus facit iusticiam, laudant eum angeli propter equitatem inflexibilem. **21** Cum vero perficitur honor Dei gaudent de virtute eius, quod eciam malorum malicia utitur ad honorem suum. Ideo, cum videris prauos, compatere eis, gaude vero de honore Dei eterno. **22** Nam Deus, qui nichil mali vult, quia creator omnium et vere ex se solus bonus, permittit tamen multa fieri tamquam iustissimus iudex, de quibus in celestibus et in terris propter equitatem suam et occultam bonitatem honoratur.”

*Verba querimonie Matris ad filiam, qualiter agnus innocentissimus, Christus Iesus, negligitur modernis temporibus a creatura sua. Capitulum XXV.*

*1* Loquitur Mater: "Conqueror primo, quod agnus ille innocentissimus hodie portabatur, qui optime sciebat ire. Hodie puer ille tacebat, qui optime sciebat loqui. *2* Hodie puer ille innocentissimus circumcisis est, qui numquam peccavit. Et ideo, quamuis irasci non possum, tamen videor irata ex eo, quod dominus maximus factus puer modicus obliuiscitur et negligitur a creatura sua."

*Verba Christi ad sponsam ineffabilis trinitatis misterium declarancia, et quomodo dyabolici peccatores per contricionem et voluntatem emendandi obtinent Dei misericordiam, et de responsione Christi, qualiter miseretur omnibus, scilicet tam Iudeis et cetera, et de duplici iudicio, dampnandorum scilicet et saluandorum. Capitulum XXVI.*

*1* Filius loquitur: "Ego sum creator celi et terre, unus cum Patre et Spiritu Sancto, verus Deus, quia Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, non tres dii sed tres persone et unus Deus. *2* Nunc autem querere poteris, si tres sunt persone, quare non tres dii? Respondeo tibi, quod non est aliud Deus nisi ipsa potencia, ipsa sapiencia, ipsa bonitas, a qua est omnis potestas infra celum et supra, omnis sapiencia et omnis pietas, que poterit cogitari. *3* Itaque Deus trinus est et unus, trinus in personis, unus in natura. Nam potencia et sapiencia est Pater, a quo sunt omnia et qui est ante omnia, potens non aliunde sed a se ipso et eternaliter. *4* Potencia et sapiencia eciam Filius equalis Patri non a se ipso potens sed a Patre potenter et ineffabiliter genitus, principium de principio et a Patre numquam separatum. *5* Potencia et sapiencia eciam Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedens, eternus cum Patre et Filio, et equalis in maiestate et potestate. Unus ergo Deus et tres persone, quia una natura trium, una operacio et voluntas, una gloria et potestas, qui ita est unum in essencia, quod eciam sunt distincti proprietate personarum. *6* Nam totus Pater est in Filio et Spiritu et Filius in Patre et Spiritu et Spiritus in utroque in una deitatis natura, non sicut prius et posterius sed ineffabiliter. Ubi nichil est prius aut posterius, nichil alio maius aut minus vel alterius, sed totum ineffabile et equale. Propterea bene scriptum est, quod Deus est mirabilis et multum laudabilis.

*7* Nunc autem conqueri possum, quod laudabilis sum parum et multis ignotus, quia omnes querunt propriam voluntatem sed pauci meam. *8* Tu vero esto stabilis et humilis, nec te extollas in cogitatu, cum aliorum ostendo tibi pericula, nec eorum prodas nomina, nisi tibi precipiatur. Non enim ad confusionem eorum ostenduntur tibi eorum pericula, sed ut conuertantur et cognoscant iusticiam et misericordiam Dei. *9* Sed nec eos fugere debes tamquam iudicatos, quia eciam si dixero hodie, quod aliquis pessimus est, si inuocauerit me cum contricione cras et cum voluntate emendandi, paratus sum indulgere ei. *10* Et quem heri dixi pessimum, hunc hodie dico amicum carissimum propter contricionem in tantum, quod, si contricio fuerit stabilis, dimitto ei non solum peccatum sed et penam peccati, sicut per exemplum cognoscere poteris, quasi si essent duo frusta argenti viui et ambo concurrerent festinando inuicem. *11* Si in eorum coniunccione non esset residuum nisi quasi unus athomus, adhuc potens esset Deus facere, ne conuenirent. Sic si aliquis peccator esset ita radicans in dyabolicis operibus, quod staret in ipso puncto perdicionis, adhuc obtineret veniam et misericordiam, si Deus inuocaretur cum contricione et voluntate emendandi. *12* Nunc autem, cum ita sim misericors, querere poteris, cur non misereor gentilibus et Iudeis, quorum aliqui, si erudirentur fide recta, libenter pro Deo morerentur? Respondeo tibi, quod omnibus facio misericordiam tam gentilibus quam Iudeis, nec relinquitur aliqua creatura sine misericordia mea. *13* Nam quicumque audiunt, quod fides eorum non est vera, et desiderant feruenter veram aut quicumque credunt hoc esse optimum quod tenent, quia non est eis aliud umquam predicatum, faciuntque toto conamine que possunt, horum iudicium erit in leuiori misericordia. *14* Nam duplex est iudicium, dampnandorum scilicet et

saluandorum. Christianorum enim dampnandorum erit sine misericordia, quorum erit pena eterna et tenebre et voluntas firmata contra Deum. **15** Saluandorum vero erit visio Dei et gloriatio in Deo et velle Deo bonum. Ab hiis exclusi sunt gentiles et Iudei et mali et falsi Christiani. Qui quamuis non habuerunt fidem rectam, habuerunt tamen iudicem conscienciam suam credentes eundem esse Deum, quem coluerunt et offenderunt. **16** Illi autem, quorum voluntas et accio erat et est secundum iusticiam et contra peccatum, hii habebunt cum minus malis Christianis iudicium misericordie in suppliciis propter dileccionem iusticie et odium peccati, sed non habebunt consolacionem in seruicione glorie et visionis Dei, **17** quem non videbunt propter baptismi carenciam, quia aliquod temporale aut occultum iudicium Dei retraxit eos, ne salutem fructuose quererent et obtinerent. **18** Si vero nichil retraxit eos in querendo Deum verum et baptizando, non timor aut labor, non dispendium bonorum vel honorum sed impedimentum solum humanam fragilitatem superans, istos, ego qui Cornelium et centurionem nondum baptizatos vidi, alcius et perfeccius remunerare scio, sicut eorum exigit fides. **19** Quia alia est ignorancia malicie, alia pietatis et difficultatis, similiter et alius est baptismus aque, alius sanguinis, alius perfecte voluntatis, que omnia nouit pensare Deus, qui omnium nouit corda, propterea ego, qui sine principio natus sum eternaliter de principio, qui et iterum in fine temporum natus sum temporaliter ab inicio, noui singulorum remunerare merita et do unicuique iuxta merita sua. **20** Nec minimum bonum, quod fit ad honorem Dei, transiet sine remuneracione. Ideo teneris tu multum regraciari Deo, quia de Christianis nata es et in tempore salutis, quia multi desiderabant hoc obtinere et videre, quod offertur Christianis, et non obtinuerunt.”

*Deprecacio sponse ad Dominum pro Roma et de multitudine innumerabili sanctorum martirum Rome quiescentium et de tribus gradibus perfeccionis Christianorum et de quadam visione ipsius sponse, et qualiter Christus ei apparens predictam visionem sibi exposuit et declarauit. Capitulum XXVII.*

**1** ”O Maria, licet immitis fueram, tamen te inuoco in adiutorium meum. Et rogo te, ut rogare digneris pro excellentissima et sanctissima illa urbe Roma. Video enim corporaliter, quod quedam ecclesie, in quibus ossa sanctorum quiescunt, desolate sunt. Quedam vero habitantur, sed corda et mores rectorum earum longe sunt a Deo. **2** Impetra ergo eis caritatem, quia audiui ex scripturis, quod Rome quilibet dies in anno septem milia continet martirum. Et ideo, quamuis anime non minorem honorem obtinent in celo, licet ossa eorum contempnuntur in terris, tamen rogo te, ut sanctis tuis et sanctorum tuorum reliquiis amplior honor exhibeatur in terris et sic deuocio populi excitetur.”

**3** Respondit Mater: ”Si mensurares terram centum pedum in longitudine et totidem in latitudine et seminares eam plenam puris granis tritici, ita compresse, quod non esset distancia inter granum et granum nisi quasi articulus digiti unius, **4** quodlibet vero granum daret fructum centuplum, adhuc essent plures martires et confessores Rome a tempore illo, quo Petrus venit Romam cum humilitate, usquequo Celestinus discessit de sede superbie et reuersus est ad suam solitariam vitam. **5** De illis vero martiribus et confessoribus loquor, qui fidem veram predicabant contra diffidenciam et humilitatem contra superbiam et qui pro veritate fidei mortui sunt vel voluntate parati erant mori. **6** Nam Petrus et plures alii sic calidi et feruentes erant ad proferendum verba Dei, quod, si potuissent mori pro unoquoque homine, libenter fecissent. Attamen timidi fuerunt, ne a conspectibus illorum, quos verbo consolacionis et predicacionis fouebant, raperentur, quia salutem eorum plus desiderabant quam vitam propriam et honorem. **7** Fuerunt quoque cauti, et ideo processerunt occulte in persecucione propter lucrum et colleccionem plurimarum animarum. Igitur inter istos duos, Petrum scilicet et Celestinum, non omnes fuerunt boni sicut nec omnes



mali. **8** Ecce ponamus tres gradus, sicut tu composuisti, positium, comparatum et superlatium, id est bonos, meliores et optimos. In primo gradu fuerunt illi, quorum cogitatio fuit ista: **9** 'Nos credimus quidquid sancta precipit Ecclesia. Neminem defraudare volumus, sed defraudata reddere et Deo seruire desideramus toto corde.' Consimiles etiam fuerunt tempore Romuli, fundatoris Rome, secundum fidem suam qui cogitabant taliter: **10** 'Nos intelligimus et scimus ex creaturis, quod Deus est creator omnium; hunc ergo diligere volumus pre omnibus.' Quamplures vero cogitabant ista: 'Nos audiimus ab Hebreis, quod Deus verus ostendit se eis per miracula manifesta. **11** Et ideo, si sciremus, in quo nos magis fundare deberemus, libenter faceremus.' Isti omnes fuerunt quasi in primo gradu. Tempore vero placito venit Petrus Romam, qui alios eleuauit in gradum positium, alios in comparatum et alios in superlatium. Illi enim, qui fidem receperunt veram, qui in coniugio et alia dispositione laudabili steterunt, isti fuerunt in positio gradu. **12** Qui vero sua dimiserunt propter caritatem diuinam, qui aliis bona exempla viuendi ostenderunt verbis et exemplis et operibus necnon et qui nichil Christo preposuerunt, isti fuerunt in comparatio gradu. **13** Qui vero carnem suam dederunt pro amore Dei, isti fuerunt in superlatio gradu. Sed queramus in istis gradibus supradictis. Ubi inuenitur nunc caritas Dei feruencior? Queramus in militibus et doctoribus. **14** Queramus in religiosis et mundi contemptoribus, qui tenerentur esse in comparatio et superlatio gradu, et certe nimis pauci inueniuntur, nam non est vita austerior quam vita militaris, si in sua vera institutione staret. Si enim monacho precipitur habere cucullam, militi precipitur grauius, scilicet lorica. **15** Si vero est graue monacho pugnare contra voluptatem carnis, militi est grauius inter armatos hostes procedere. Si vero ordinatur monacho durus lectus, grauius est militi in armis quiescere. Et si monachus turbatur et affligitur abstinentia, durius est militi affligi continuo timore vite. **16** Non enim milicia Christianitatis incepta est propter mundi possessionem et cupiditatem sed ad confortandam veritatem et dilatandam veram fidem, et ideo gradus militaris et religiositatis in superlatio gradu vel comparatio esse tenerentur. **17** Sed omnes gradus a sua laudabili dispositione apostatauerunt, quia caritas Dei versa est in cupiditatem mundi. Si enim offerretur unus florenus, de tribus magis tacerent plerique veritatem quam loquendo amitterent illum.

**18** Nunc autem loquitur sponsa dicens: "Iterum vidi quasi multos ortos in terra, rosas vero et lilia conspexi inter ortos. In quodam vero loco spaciose terre vidi agrum centum vestigiorum in longitudine et totidem in latitudine. **19** In quolibet autem vestigio erant septem grana tritici seminata et quodlibet granum dabat fructum centuplum. Post hec audiui vocem dicentem: 'O Roma, Roma, muri tui sunt dirupti. Ideo porte tue sunt sine custodia. Vasa tua venduntur. **20** Ideo altaria tua desolata sunt. Viuum sacrificium et incensum matutinum comburitur in atrio. Ideo non egreditur de sancta sanctorum sanctus odor suauissimus."

**21** Et statim apparens Dei Filius dixit sponse: "Horum intelligenciam, que vidisti, indico tibi. Terra quam vidisti significat omnem locum, ubi nunc est fides Christiana. Orti vero significant loca illa, ubi sancti Dei receperunt coronas suas. **22** Verumptamen in paganismo, scilicet in Ierusalem et in aliis locis, multi fuerunt electorum Dei, quorum tamen loca tibi modo non sunt monstrata. Ager vero centum pedum in longitudine et totidem in latitudine significat Romam. **23** Nam si omnes orti de toto mundo coniuncti essent Rome, certe Roma esset eque magna de martiribus, in carne loquor, quia ille locus electus est ad amorem Dei.

**24** Triticum vero, quod inter vestigia vidisti, significat illos, qui per carnis maceracionem et contricionem et vitam innocentem intrauerunt celum. Rose vero pauce sunt martires rubicundi sanguinis sui effusione in diuersis locis. **25** Lilia vero confessores sunt, qui fidem sanctam verbis et operibus predicauerunt et confirmauerunt. Nunc autem ego possum loqui de Roma, sicut propheta loquebatur de Ierusalem: 'Olim', inquiens 'habitauit in ea iusticia et principes eius principes pacis. Nunc autem versa est in scoriam et principes eius homicide.' **26** O, si cognosceres dies tuos, o Roma, fleres utique et non gauderes. Roma quippe in diebus antiquis erat quasi tela colorata omni colore pulcherrimo et contexta nobilissimo filo.

Terra quoque eius erat colorata colore rubeo, id est sanguine martirum et contexta, id est commixta ossibus sanctorum. **27** Nunc autem porte eius desolate sunt, quia defensores et custodes earum inclinati sunt ad cupiditatem. Muri eius depressi sunt et sine custodia, quia iam non curant animarum dampna, sed clerus et populus, qui sunt murus Dei, disperguntur ad faciendum utilitatem carnis. **28** Vasa diuina venduntur contemptibiliter, quia sacramenta Dei propter pecuniam et fauorem mundanum dispensantur. Altaria vero desolata sunt, quia, qui celebrat cum vasis, manus habet a caritate Dei vacuas et oculos ad offeritorium, et licet vere Deum habeat inter manus, cor tamen vacuum est a Deo, quia mundanis vanitatibus est repletum. **29** Sanctum vero sanctorum, ubi olim summum consumebatur sacrificium, significat desiderium diuine fruicionis et visionis, de quo ascendere deberet caritas ad Deum et proximum et odor tocius continencie et virtutis. **30** Nunc autem sacrificium consumitur in atrio, id est in mundo, quia tota diuina caritas versa est ad incontinenciam et mundi vanitatem. Talis est Roma, corporaliter sicut vidisti, nam altaria plura desolata sunt, **31** offeritorium expenditur in tabernis, offerentes vacant plus mundo quam Deo. Verumptamen scias, quod a tempore Petri humilis usque dum Bonifacius ascendit sedem superbie, innumerabiles anime ascenderunt in celum. **32** Adhuc tamen Roma non est sine amicis Dei, qui si haberent adiutorium, clamarent domino et ipse misereretur eisdem.”

*Informacio Virginis ad sponsam de modo sciendi diligere et de quatuor ciuitatibus, in quibus quatuor caritates inueniuntur, et que istarum debet proprie caritas nuncupari et perfecta. Capitulum XXVIII.*

**1** Mater loquitur ad sponsam dicens: ”Numquid, filia, diligis me?” Respondit illa: ”Doce me, domina, diligere, quia anima mea fedata est dileccione falsa, seducta veneno mortifero, pro quo non valet apprehendere dileccionem veram.” Et Mater: ”Ego”, inquit, ”docebo te. **2** Nam quatuor sunt ciuitates, in quibus quatuor inueniuntur caritates, si tamen omnes caritates nuncupari debent, quia non est proprie dicenda caritas, nisi ubi Deus et anima in vera virtutum unitate confederantur. **3** Prima igitur ciuitas est ciuitas probacionis, que est mundus, in quo ponitur homo, ut probetur, si diligat Deum an non, ut experiatur infirmitatem suam, ut acquirat sibi virtutes, quibus redeat ad gloriam, ut purgatus in terra gloriosius in celis coronetur. **4** In hac ciuitate inuenitur dileccio inordinata, cum diligitur caro plus quam anima, cum desideratur temporale feruencius quam spirituale, cum honoratur vicium et despicitur virtus, cum plus dulcessit peregrinacio quam patria, cum plus timetur et honoratur moriturus homunculus quam in eternum regnaturus Deus. **5** Secunda ciuitas est ciuitas purgacionis, in qua abluuntur sordes anime. Placuit enim Deo talia loca ordinare, in quibus coronandus purgaretur, qui in libertate negligens insolescebat sed tamen cum timore. **6** In hac ciuitate inuenitur dileccio imperfecta, quia diligitur Deus ex spe soluende captiuitatis sed non ex feruore affeccionis propter tedium et amaritudinem satisfaciende culpe. **7** Tercia ciuitas est ciuitas doloris, ubi est infernus. In hac inuenitur dileccio omnis malicie et immundicie, omnis inuidie et obduracionis. In hac quoque ciuitate regnat eciam Deus per ordinatam suam iusticiam, per mensuram suppliciorum debitam, per malicie refrenanciam, per libratam pro meritis omnium equitatem. **8** Nam sicut alii dampnandorum peccant plus, alii minus, ita et pene et retribucionis condigne constituti sunt termini. Nam etsi omnes dampnandi includuntur tenebris, non tamen omnes uno eodemque modo. **9** Differunt enim tenebre a tenebris, horror ab horrore, ardor ab ardore. Ubique denique disponit Deus in iusticia et misericordia, eciam in inferno, ut aliter puniantur hii, qui peccauerunt ex industria, aliter qui ex infirmitate, aliter qui sola originalis peccati noxa tenebantur, quorum plaga, etsi in carencia diuine visionis et lucis electorum consistit, **10** misericordie tamen et gaudio per hoc appropinquant, quod ad horrorem suppliciorum non perueniunt, cum prauorum operum effectum non habebant. Alioquin, nisi Deus omnia disponeret in numero et mensura, dyabolus numquam mensuram haberet in puniendo. **11** Quarta ciuitas est

ciuitas glorie. In hac est dileccio perfecta et caritas ordinata, qua nichil desideratur nisi Deus et propter Deum. Ut ergo ad istius ciuitatis perfeccionem peruenias, quadruplicem te oportet habere caritatem, scilicet ordinatam, mundam, veram et perfectam. **12** Ordinata vero caritas est, qua caro diligitur ad solam sustentacionem, mundus ad nullam superfluitatem, proximus propter Deum, amicus propter vite puritatem, inimicus propter remuneracionem. Munda vero caritas est, qua vicium non diligitur cum virtute, qua consuetudo praua contempnitur, qua peccatum non leuigatur. **13** Vera autem est dileccio, quando Deus toto affectu et corde diligitur, quando honor et timor Dei precogitatur in omnibus actibus, quando ex fiducia bonorum operum minimum peccatum non committitur, quando sapienter moderat quis se ipsum ne ex nimio feruore deficiat, quando ex pusillanimitate et ignorancia temptacionum non declinatur ad peccatum. **14** Perfecta vero est caritas, quando nichil dulcessit homini sicut Deus. Hec in presenti inchoatur, sed in celo consumatur. Ergo dilige istam perfectam caritatem et veram, quia omnis, qui eam non habuerit, purgabitur, si tamen fidelis, si feruens, si paruulus, si renatus fuerit, alioquin transiet ad ciuitatem horroris. **15** Nam sicut unus est Deus, sic una est fides in Ecclesia Petri, unum baptisma, una glorie et remuneracionis perfeccio. Propterea, qui ad unum Deum peruenire desiderat, debet unam voluntatem et unam caritatem cum uno Deo habere. **16** Ideo miseri sunt illi, qui sic dicunt: 'Sufficit, si ero in celo minimus. Nolo esse perfectus.' O, insensata cogitacio! Quomodo erit ibi imperfectus, ubi sunt perfecti omnes, alii ex innocencia vite, alii ex innocencia puericie, alii ex purgacione, alii ex fide et bona voluntate?"

*Laus sponse ad Virginem continens templi Salomonis similitudinem et deitatis unitatis cum humanitate veritatem inexplicabilem, et qualiter sacerdotum templa sunt vanitate depicta. Capitulum XXIX.*

**1** Benedicta sis tu, Maria, Mater Dei, templum Salomonis, cuius parietes fuerunt deaurate, cuius tectum prefulgens, cuius pauimentum preciosissimis instructum lapidibus, cuius compositio tota refulgens, cuius interiora omnia redolencia et delectabilia ad intuendum. **2** Denique per omnem modum similis tu templo Salomonis, in quo verus Salomon spaciabatur et sedit, in quod induxit arcam glorie et candelabrum ad lucendum. **3** Sic tu, benedicta Virgo, templum es illius Salomonis, qui fecit inter Deum et hominem pacem, qui reconciliauit reos, qui vitam dedit mortuis et pauperes ab exactore liberauit. **4** Corpus quippe tuum et anima facta sunt deitatis templum, in quibus erat tectum diuine caritatis, sub quo Filius Dei egressus a Patre ad te gaudenter habitauit tecum. **5** Pauimentum vero templi fuit tua composita vita et exercitacio virtutum assidua. Nulla enim tibi defuit honestas, quia totum in te fuit stabile, totum humile, totum deuotum totumque perfectum. **6** Parietes vero templi fuerunt quadranguli, quia nullo perturbabaris obprobrio, de nullo superbiebas honore, nulla inquietabaris impaciencia nichilque nisi honorem et amorem Dei affectabas. **7** Picture vero templi tui fuerunt inflammacio continua Spiritus Sancti, qua in tantum eleuabatur anima tua, ut nulla esset virtus, que non amplior et perfeccior esset in te quam in aliqua alia creatura. **8** Itaque in hoc templo tunc spaciabatur Deus, quando membris tuis infudit sue visitacionis dulcedinem. Requieuit vero, quando deitas sociabatur humanitati. Benedicta igitur sis tu, beatissima Virgo, in qua Deus magnus factus est puer paruus, antiquissimus dominus factus est pusillus filius, sempiternus Deus et creator inuisibilis factus est visibilis creatura. **9** Ideo, quia piissima et potentissima es domina, rogo te, respice in me et miserere mei. Mater enim Salomonis es, non illius, qui fuit filius David, sed eius, qui Pater est David et dominus Salomonis, qui edificabat templum illud mirificum, quod te veraciter prefigurabat. **10** Filius enim exaudiet Matrem et talem ac tantam Matrem. Impetra ergo, ut puer Salomon, qui fuit quasi dormiens in te, sit vigilans mecum, ut nullius peccati delectacio me pungat, sed contricio commissorum sit stabilis, amor mundi sit michi mortuus, paciencia perseuerans, penitencia fructuosa. **11** Non enim habeo aliquid

virtutis pro me nisi verbum unum; hoc est 'miserere, Maria', quia templum meum contrarium omnino tuo est. Est enim tenebrosus viciis, lutosus ex luxuria, corruptus ex cupiditatis vermibus, instabile ex superbia, labile ex vanitate mundanorum.

**12** Respondit Mater: "Benedictus sit Deus, qui cordi tuo hanc inspiravit proferre salutacionem, ut intelligeres, quanta in Deo sit bonitas quantaque dulcedo. Sed cur comparas me Salomoni et templo Salomonis, cum mater sim illius, cuius generacio non habet principium nec finem, et illius, qui legitur nec habuisse patrem nec matrem, hoc est Melchisedech? **13** Ipse enim describitur fuisse sacerdos et ad sacerdotes pertinet templum Dei, et ideo ego sum mater sacerdotis summi atque virgo. Vere dico tibi, quod utrumque sum, scilicet mater regis Salomonis et mater pacificantis sacerdotis. Nam Filius Dei, qui est et Filius meus, utrumque est sacerdos et rex regum.

**14** Denique in templo meo induit se vestibus sacerdotalibus spiritualiter, in quibus obtulit sacrificium pro mundo. In ciuitate vero regali coronabatur corona regali sed aspera. Extra vero tamquam pugil fortissimus campum et pugnam detinebat. **15** Nunc autem conqueri possum, quod oblitus et neglectus est idem filius meus a sacerdotibus et regibus. Reges quippe gloriantur de palaciis suis, de exercitu suo et de processu et honore mundi. Sacerdotes vero superbiunt de bonis et possessionibus temporalibus animarum. **16** Nam sicut dixisti templum depictum auro, sic templa sacerdotum depicta sunt vanitate et curiositate mundi. Regnat enim simonia in capite. Arca testamenti sublata est, lucerne virtutum extincte, mensa deuocionis desolata."

**17** Respondit sponsa: "O Mater misericordie, miserere eis et roga pro illis." Cui Mater: "Ab inicio sic Deus dilexit suos, ut non solum in precibus suis exaudiantur ipsi pro se, sed et alii propter eos senciant petitionis effectum. **18** Propterea, ut preces exaudiantur pro aliis, duo sunt necessaria, voluntas scilicet deserendi peccatum et voluntas proficiendi in bono. Omnis enim, qui hec duo habuerit, illi proficient preces mee."

*Verba sancte Agnetis ad sponsam de dileccione habenda ab ipsa sponsa ad Virginem sub floris figura, et qualiter Virgo gloriosa loquens declarat immensam et eternam pietatem diuinam contra nostram impietatem et ingratitude, et quomodo amici Dei non debent inquietari in tribulacionibus. Capitulum*

XXX.

**1** Beata Agnes loquitur sponse dicens: "Filia, dilige matrem misericordie. Ipsa enim similis est flori siue cirpo, cuius figura consimilis est gladio. Qui quidem flos habet duas extremitates acutissimas et cuspidem gracilem. Altitudine vero et latitudine super alios flores se extendit. **2** Sic Maria flos est florum, flos, qui creuit in valle et super omnes montes se dilatauit. Flos, inquam, qui nutriebatur in Nazareth et in Lybanum, se diffundebat. Hic flos super omnia habuit altitudinem, quia benedicta regina celi super omnem creaturam excedit dignitate et potestate. **3** Habuit et ipsa Maria duas acies siue extremitates acutissimas, tribulacionem scilicet cordis in passione Filii et constanciam certaminis contra incursiones dyaboli, quia numquam peccato consenciebat. **4** Verum enim prophetabat senex ille, qui dicebat: 'Tuam', inquam, 'animam pertransibit gladius.' Nam quasi tot ictus gladii sustinuit spiritualiter, quot in filio suo vulnera et plagas preuidebat et videbat. Habuit insuper Maria latitudinem excedentem, hoc est misericordiam. **5** Nam sic pia et misericors est et fuit, quod maluit omnes tribulaciones sufferre quam quod anime non redimerentur. Nunc autem coniuncta Filio non obliuiscitur innate bonitatis sue, sed ad omnes extendit misericordiam

suam, eciam ad pessimos. Ut sicut sole illuminantur et inflammantur celestia et terrestria, sic ex dulcedine Marie nullus est, qui non per eam, si petitur, sentiat pietatem. **6** Habuit et Maria cuspidem gracilem, hoc est humilitatem. Per hanc enim placuit angelo respondens se esse ancillam, que eligebatur in dominam. Per hanc concepit Filium Dei, quia noluit placere superbis. **7** Per hanc ascendit ad summum thronum, quia nichil dilexit nisi ipsum Deum. Procede igitur, canalis, et saluta Matrem misericordie, quia iam venit.”

**8** Tunc apparens Maria respondit: ”Dixisti, Agnes, substantium, adde et adiectivum.” Cui Agnes: ”Si dixeris ’pulcherrima’ vel ’virtuosissima’, hoc nulli de iure competit nisi tibi, que es mater salutis omnium.” Et respondit Mater Dei beate Agneti: ”Dixisti verum, quia ego potencior sum omnium, ideo addam adiectivum et substantium, canalis scilicet Spiritus Sancti. **9** Sed veni, canalis, et audi me. Tu doles ex eo, quod proverbum istud vertitur inter homines: ’Viuiamus secundum libitum nostrum, quia Deus faciliter placatur. Utamur mundo et honore eius, dum possumus, quia propter hominem factus est mundus.’ **10** Vere, filia, talis locutio non procedit de caritate Dei nec tendit aut trahit ad caritatem Dei. Verumptamen Deus propter hec non adhuc obliuiscitur caritatis sue, sed omni hora pro ingratitude hominum ostendit pietatem suam. **11** Nam ipse similis est fabro fabricanti opus solempne, qui quandoque ignescit ferrum, quandoque infrigidat. Sic Deus faber optimus, qui mundum fecit ex nichilo, ostendit suam caritatem Ade et posteris eius. **12** Sed refriguerunt in tantum homines, quod Deum quasi pro nichilo reputantes enormia plurima commiserunt. Propterea ostensa misericordia et amonitione benigna precedente ostendit Deus iusticiam per diluuium. **13** Post vero diluuium posuit Deus fedus suum cum Abraam et ostendit illi signa dilectionis sue et eduxit progeniem eius in signis et mirabilibus maximis. Dedit populo legem de ore proprio et verba sua et precepta signis euidentissimis confirmavit. **14** Cumque iterum precedente tempore frigeret populus et in tantam vesaniam prorumperet, quod eciam ydola coleret, pius Deus volens iterum ignire frigidus misit mundo filium proprium, qui veram viam ad celum docuit et humilitatem veram imitandam demonstravit. **15** Nunc autem a multis nimium oblitus et neglectus est, sed tamen adhuc ostendit et exhibet verba misericordie sue. Non autem omnia perficientur simul magis nunc quam prius. Nam antequam veniret diluuium, prius ammoneretur et expectabatur populus ad penitentiam. **16** Sic et Israel antequam terram promissionis ingrederetur, prius probatus est et ad tempus protracta est promissio. Bene quippe valuisset Deus eduxisse populum in xl diebus et non protraxisse ad xl annos, sed iusticia Dei exigebat, ut ingratitude populi ostenderetur et misericordia Dei manifestaretur populusque futurus tanto magis humiliaretur. **17** Nunc autem, si quis cogitare vellet, cur sic Deus afflixit populum suum aut cur pena aliqua debet esse eterna, cum vita ad peccandum non possit esse eterna, magna esset audacia, sicut et ille audax est, qui cogitatione et ratione intelligere et comprehendere nititur, quomodo Deus est eternus. **18** Denique Deus eternus et incomprehensibilis est et in eo eterna iusticia et retributio est misericordiaeque inexcogitabilis; alioquin nisi Deus ostendisset iusticiam suam in primis angelis, quomodo sciretur iusticia eius, qui omnia iudicat in equitate? **19** Et nisi fecisset iterum misericordiam suam cum homine creando eum et liberando in infinitis signis, quomodo tanta bonitas eius sciretur et caritas eius tam immensa et tam perfecta? Igitur quia sempiternus est Deus, sempiterna est in eo iusticia, in qua non est additio nec diminutio, **20** sicut in homine, qui precogitat opus suum facere tali modo et tali die. Deus vero, cum facit iusticiam suam vel misericordiam, perficiendo manifestat eam, quia ab eterno presencia, preterita et futura sunt apud illum. **21** Propterea amici Dei patienter debent stare in amore Dei et non inquietari, quamuis viderint mundiales prosperari, quia Deus est sicut optima lotrix, que pannum immundum ponens inter procellas, ut ex mocione aque fiat purior et candidior, diligenter cauet iactus undarum, ne submergatur pannus. **22** Sic Deus ponit in presenti amicos suos inter procellas paupertatis et tribulacionis, quibus ad eternam vitam purgentur custodiens eos diligenter, ne vel nimia tristitia vel tribulacione intolerabili demergantur.”

*Verba Christi ad sponsam optimum exemplum de medico et rege ponencia, et qualiter Christus per talem medicum designatur, et quomodo frequenter saluantur dampnandi secundum homines et dampnantur saluandi secundum homines vel mundum. Capitulum XXXI.*

**1** Filius loquitur ad sponsam dicens: "Medicus venit in regionem longinquam et ignotam, in qua rex non regebat, sed regebatur, quia cor habebat leporinum. Et ideo sedens in throno quasi coronatus asinus apparebat. **2** Populus vero suus vacabat commessacionibus et honestatis equitatisque oblitus omnes de futuris bonis consulentes odiebat. Cumque medicus se presentaret regi et de terra voluptatis se esse diceret causaque cognicionis infirmitatum hominum se affirmaret venisse, rex admiratus hominem et loquelam eius respondit: **3** 'Ego habeo duos in carcere cras decollandos. Alter eorum respirare vix potest, alius vero robustior et corpulencior est quam cum carcerem ingrederetur. Ingredere igitur ad eos et contemplare vultus eorum, quis eorum melioris sit complexionis.' **4** Cumque ingressus fuisset medicus et vidisset eos, dixit regi: 'Homo, quem robustum dicis, simillimus mortuo est nec viuere poterit. De alio vero spes est bona.' Cui rex: 'Unde', inquit, 'nosti hec?' **5** Et medicus: 'Quia', inquit 'alius impletus est humoribus et vento nociuo nec curari poterit. Alter vero exinanitus facilliter mediante lenitate aeris poterit sanari.' Tunc ait rex: 'Conuocabo nobiliores meos et sapientes, ut visa sapiencia et industria tua gloriosus appareas in oculis eorum.' **6** Cui medicus: 'Nequaquam', inquit, 'hoc facito. Scis enim populum tuum inuidum esse glorie, et quem non poterit opere, persequitur et deprauat verbo. Sed expecta, et ostendam tibi soli in conclauis sapienciam meam, sic enim instructus sum et doctus sapienciam meam plurimam habere in secreto et modicam in aperto. **7** Nec quero gloriam in tenebris tuis, cum in luce patrie mee glorior. Sed nec tempus sanitatis adhuc est, donec ventus australis afflauerit et sol in meridie apparebit.' Cui rex: 'Quomodo possent ista fieri in terra mea? **8** In ea enim sol rarissime oritur, quia extra climata sumus et ventus aquilonaris semper dominatur nobis. Sed quid michi sapiencia tua prodest et tanta mora sanitatis? Video te satis verbis habundare.' **9** Respondit medicus: 'Sapientis est non esse subitum sed, ne tibi suspectus et ingratus appaream, da michi istos duos homines in potestate et ducam eos ad fines regni tui, ubi aer est competencior, et tunc videbis, quantum opera quantumue valebunt verba.' **10** Cui rex: 'Alcioribus', inquit, 'et utilioribus occupati sumus. Quid nos distrahis? Aut quid confert nobis magisterium tuum? In presentibus enim bonis delectamur, que videmus et possidemus, ad futura autem et incerta non aspiramus. **11** Verumptamen suscipe homines illos, ut petis, et si ostenderis in eis aliquid magnificum et dignum admiracione, predicabimus te et predicari faciemus gloriosum.' **12** Susceptis igitur hominibus illis et ad temperiem aeris deportatis alius transiit ad mortem; alius vero blandimento aeris refocillatus reuixit.

**13** Medicus ille ego sum, qui mederi cupiens hominibus verba mea misi mundo. Quamuis autem infirmitates multorum vidi, duos tamen ostendi tibi, in quibus et iusticiam et misericordiam poteris admirari. **14** Unum enim ostendi tibi, quem dyabolus possedit occulte sed eternaliter puniendum. Cuius tamen opera hominibus videbantur et laudabantur tamquam iusta. Alterum vero ostendi, cui aperte dominabatur dyabolus sed sanandum dixi tempore suo, licet non hominibus aperte, ut tu credebas. **15** Fuit enim iusticia diuina. Ut sicut spiritus malignus paulatiue in eum dominari ceperat, sic eadem dictabat iusticia ut paulatim egrederetur, sicut et egressus est, donec anima carne soluta peruenit cum ea dyabolus ad iudicium. Cui dixit iudex: 'Tu purgasti eam et cribrasti quasi triticum. **16** Nunc pertinet ad me pro confessione sua duplici corona coronare eam. Recede igitur ab ea, quam tanto purgasti tempore' et 'Veni, o felix anima, et vide sensibus spiritualibus gloriam meam et iocunditatem meam!' **17** Ad alteram vero animam dixit: 'Quia fides vera non fuit in te et tamen quasi fidelis gloriabaris et laudabaris et quia opera iustorum perfecta non sunt inuenta in te, propterea merces illa fidelium non erit in te. Tu quoque in vita tua quesuisti, cur volui mori pro te et cur humiliavi me tantum pro te.' **18** Ideo respondeo tibi nunc, quod fides

Ecclesie sancte vera est, que sursum trahit animas, passioque mea et sanguis introducit eas in celum. Ideo infidelitas tua et amor tuus vanus depriment te ad nichilum et nichil eris respectu spiritualium eternorum. **19** Quod vero dyabolus non egrediebatur videntibus cunctis de homine illo, respondeo: 'Mundus iste est quasi vile tugurium respectu tabernaculi, quod inhabitat Deus populusque Deum exasperans. Ideo paulatiue, sicut ingrediebatur, egrediebatur.'

*Verba Virginis ad sponsam sub figura ponencia, qualiter Deus Pater ipsam inter ceteros sanctos elegit in matrem et in portum salutis. Capitulum XXXII.*

**1** Mater loquitur ad sponsam dicens: "Quidam querens lapides repperit magnetem, quem eleuans manu propria custodiuit in thesauro suo, et per eum deduxit nauem ad portum tutum. **2** Sic Filius meus multos querens lapides sanctorum me specialiter elegit in matrem sibi, ut per me homines reducerentur ad portum celi. **3** Sicut ergo magnes attrahit sibi ferrum, sic ego dura corda attraho Deo. Ideo turbari non debes, si quandoque cor tuum induratur, quia hoc est ad maiorem coronam."

*Verba Filii ad sponsam, et quomodo per duorum hominum exemplum ostendit se iudicare secundum interiora et non secundum exteriora. Capitulum XXXIII.*

**1** Filius Dei loquitur sponse: "Miraris de duobus, unus qui erat quasi lapis quadratus, alius peregrinus Ierosolimitanus. Sed neuter peruenit ad id, quod tu sperabas. Primus itaque, ad quem fuisti missa, fuit lapis quadratus firmus in conceptibus suis sed tamen quasi Thomas pie dubitans. **2** Ideo quia nondum erat tempus, quo complete sunt malicie, probauit vinum sed non bibit. De secundo dixi, quod Ierosolimitanus esset comes itineris. Hoc ideo factum est, ut quem fama iustum et sanctum dixerat, sciretis statum suum. **3** Nam ipse est religiosus habitu et professione monachus sed moribus apostata, dignitate sacerdos sed seruus peccati, peregrinus fama sed intencione gyrouagus, Ierosolimitanus opinione sed magis Babilonicus. Insuper et contra obedienciam et apostolica statuta est egressus. **4** Totusque infectus est heresi ita, quod se credit et dicit pontificem futurum, qui restituet omnia, cuius et libri hec testantur. **5** Ideo subito morietur et, nisi cauerit sibi, patri mendacii sociabitur. Ideo non debes turbari, si aliqua obscure dicuntur aut si predicta non fient secundum cogitatum tuum, quia verba Dei diuersimode intelligi possunt. Et quociens hoc contingit, veritatem eorum indicabo. **6** Nunc autem ego Deus verus Ierosolimitanus sum. Ideo ego ipse comes itineris esse volo."

*Declaracio*

**7** Spiritus Dei loquitur: "Audisti illum mortuum, de quo dixi tibi, quod erat lapis quadratus et pie dubitans. Ideo scito, quod non erit in numero illorum, qui temptauerunt Deum in deserto nec cum illis, qui petebant signum sicut Ione prophete, **8** nec cum illis, qui persecucionem mouerunt contra me, sed cum illis erit, qui zelum habebant et caritatem sed nondum perfectam."

*Verba Matris ad filiam sub figura, in qua anima in anulo, corpus in panno designantur, et qualiter anima per discrecionem debet purificari et corpus per abstinenciam debet mundari et non interfici. Capitulum*

*XXXVIII.*

*1* Mater loquitur: "Si datur alicui anulus, qui nimis strictus est digito, et queritur ab inimico consilium, quid faciendum sit, respondit: 'Precidatur digitus et sic anulus ei adaptabitur.' Cui amicus: 'Nequaquam', inquit, 'sed magis anulus cum malleo extendatur.' *2* Si vero aliquis velit potum potentis domini per immundum panniculum trahere et colare et quereret consilium ab inimico, ille respondit: 'Precide de panno omne, quod immundum est, et ubi aliquid mundum inueneris, ibi trahice potum domini tui.' *3* Cui amicus: 'Nullo modo sic fiat sed magis prius mundificandus et lauandus est pannus et postea potus trahiciendus!' Sic est eciam in spiritualibus. In anulo itaque intelligitur anima, in panno vero corpus. *4* Ergo anima, que in digito Dei esse debet, extendi debet malleo discrecionis et purificationis, corpus vero non interfici sed mundari per abstinenciam, ut verba Dei per illud diffundantur."

*Explicit Tercius Liber*